L.LIV 16/c
1331/
A42.

**CASPIUS,** Georgius. Ad indoctam et contumeliosam Bonaventurae Grangerii, seu Villici admonitionem, **de cautionibus in sanguinis missione adhibendis,** brevis responsio, qua *L. Botalli* libellus de curatione per sanguinis missionem defenditur. 198 pp., 2 leaves. 8vo. Boards. Basle, 1580. Fr. 15. —

Slight waterstains.

# GEORGII CASPII HANNONII MEDICINÆ Doctoris, ad indoctam & contumelioſam Bonauenturæ Grangerij, ſeu Villici admonitionem, de cautionibus in ſanguinis miſſione adhibendis,

## BREVIS RESPONSIO.

*Qua Leonar. Botalli Medici Regij clariſſimi libellus de curatione per ſanguinis miſsionem defenditur,*

Multíque Hippocratis loci, ac variæ de ſanguinis miſſione quæſtiones explicantur.

BASILEÆ,
Apud Ioannem Mareſchallum.
1580.

47961
AA 1417
9718
R 42a
504
Aur.

## De Grangerij libello.

*Grangerij laudes ſi quæris fortè libelli,*
*Vno hoc complexas carmine, Lector, habes:*
*Scommata, centones, mendacia, crimina, nugæ:*
*Hæc ſi Grangerio demis, inanis erit.*

Io. Drueti.

*Grangerius quidam conuellere dente parabat,*
*Et famam, & nomen, docte Botalle tuum,*
*Dũ tua miratur noua ſcripta, nouo ordine, quo tu*
*Aegroto venam ſæpe ſecare iubes.*
*Verùm ſi ſolers penetraſſet clauſtra Galeni,*
*Dictaq; luſtraſſet, carmine Flacce tuo*
*Nil admirari, facere, & ſeruare beatum:*
*Non ſic Lectori verba dediſſet iners.*
*Aſt habet hoc ſemper vitiũ ignorantia, quæ cum*
*Abdita non capiat, ſurgit ad inuidiam,*
*Hancq; comes ſequitur virtutis liuidus, aſt tu*
*Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.*

Io. Richij.

# GEORGII CASPII HANnonij Medicinæ Doctoris, ad indoctam & contumelioſam Bonauenturæ Grangerij ſeu Villici admonitionem, de cautionibus in ſanguinis miſſione adhibendis,

## BREVIS RESPONSIO.

*Qua Leon. Botalli Medici Regij clariſsimi libellus de curatione per ſanguinis miſsionem defenditur.*

INCIDI tandem, etſi ſerò, in admonitionem tuam Villice, ad Leonardũ Botallum, Chriſtianiſſimi Regis Medicum: ad quam legendã mirè me allexit plauſibilis illa inſcriptio de cautionibus in ſanguinis miſſione adhibẽdis, quas cum à clariſſimis Medicis tum veteribus, tum recentioribus diligẽter traditas eſſe ſcirem, cogitabam oportere te aliquid nouæ exquiſitæq́; & minimè vulgaris eruditionis adferre, ne actũ agere, quod aiunt,

inaniq; & inutili ſtudio lectorem occupare dicereris. Accedit ipſius Botalli ratio cuius ſuauiſſima conſuetudine & familiaritate quum olim Lutetiæ, vbi toto quinquennio vixi, & nuper hîc in Gallobelgio noſtro mihi frui cõtigiſſet, ex eóq; & eius libello de curatione per ſanguinis miſſionem, quem tu tibi examinandum & reprehendendum propoſuiſti, multa ſcitu digniſſima didiciſſem quæ poſtea (quod item alios quoſdam non ignobiles medicos facere intelligebam) in vſum fœliciſſimè tranſtuli, ingens cupido diſputationem tuam cognoſcendi me inceſſit, quod hoc nomine illa ad me etiã aliqua ex parte pertinere videretur. Sperabam autẽ fore vt eum te gereres, qualem amicus ille admonitionis titulus poſtulabat, nempe vt modeſtè, ſedatè, & denique φιλοσοφικῶς rem hanc pertractares, cum præſertim id te facturũ initio reciperes. At inter legendum rẽ multò aliter ſe habere deprehendi. Cùm enim admonitio illa tua partim ἐλεγχικὴ ſit, partim διδασκαλικὴ, reprehẽſiones ipſas non legitima & certa diſputandi ratione ſeu περιπατητικῶς, ſed planè περιπαθῶς

perſe

perſequeris, paſſimque impetu quodam hoſtilíque animo in Botallum irrumpis omnem adhibens machinam, non tam vt eius ſententiam oppugnes, quam vt illum de ea laudis & dignitatis arce, in qua conſtitutum eſſe cernis, dimoueas, atque deturbes. Id verò adeo ſedulo, & gnauiter toto opere moliris, cauillis conuitiis calumniis, vt id vnum tibi propoſuiſſe argumentum, reliqua omnia tanquam πάρεργα ſeu acceſſoria operi adiunxiſſe videaris. Nec melior es in operis parte didaſcalicę: nam pro ſperatis illis lautiſſimis cibis raræ & perfectæ eruditionis nihil nobis proponis præter porri & ciceris, laganíque catinum, vt eſt apud Flaccum, hoc eſt vulgarium, & hinc inde (maxime vero ex Galeno) collectarum ſententiarum farraginem ac malè conſutos centones, præſertim ex Fernelio, diſſimulato autorũ nomine, adeo vt mirari ſubierit & otium tuum, cui ea exſcribere vacauerit, & imprudentiam (ne quid grauius dicã) qui lectorũ patientia tantopere abutaris, vt eos illis legendis occupes & obtũdas. Quare ne opera quàm in hac admonitione tua reco-

gnoſcenda inſumpſi omnino periiſſet, libuit, ac etiam licuit, quæ ego inter legendum obiter tantũ & breuibus veluti punctis, vt in aliis ſoleo, annotaui, ea paulo latius explicare, & in vnum veluti corpus congeſta in lucem edere, vt veritatis ſtudioſi qui Botalli doctrinæ & induſtrię multa ſe debere mecum agnoſcunt & profitentur, huius tuæ fallaciæ admonerentur, ſimúlque haberent vnde luxuriantẽ iſtam tuam reprehendendi ſeu potius maledicendi libidinem coërcerent atque reprimerent. In vniuerſum autem admonitionis tuæ vanitas ex eo facile apparebit, & omnib⁹ eluceſcet, quòd cùm omnis recta, & cum ratione ſuſcepta reprehenſio in eo potiſſimũ conſiſtat, vt veris nitatur principiis & hypoteſib⁹: iiſq; aduerſarij rationes & fundamenta impugnet: vtraque parte reprehenſio hæc tua manca eſt, & vitioſa. Nam Botalli inſtitutum eſt docere ſanguinis miſſionem vtiliter & tutò vſurpari poſſe in quibuſdam morborũ generibus, in quibus vulgares medici vel eam omnino reiiciũt, vel ſummopere ſuſpectam habent. Præterea in morbis quibus illa facilè admit

admittitur copioſius & frequentius mitti poſſe ſanguinem nullo periculo, imo magna cum vtilitate. Antequam autem ſigillatim ſententiam ſuam in ipſis morbis doceat, peculiaribus rationibus & exemplis, eam primum probat vniuerſali ratione ducta à generatione natura & vſu ipſius ſanguinis in corpore humano. Quid ad hæc tu Villice? primùm rationes omnes ſilentio præteris intactáſque relinquis, ac etiam paſſim, quæ tua eſt impudentia, his vocibus noſtras aures pertundis, nullas Botallus adfert rationes, ſolis nititur experimentis: quod vt falſiſſimum eſt ita cauſſæ tuæ vanitatem apertiſſime detegit. Nam cum hæc Botalli principia, à quibus eius diſputatio deducitur, integra maneant, æquè fruſtra ac imperitè in iis quæ illa neceſſario conſequũtur impugnandis laborem inſumis. In reprehenſionibus autem falſis fere ſemper hypoteſibus vteris: Nam Botalli propoſitiones particulares, tu vniuerſales eſſe ſtatuis, & tanquam vniuerſales exagitas inani & futili labore: ſic in omni flatu, hydrope, quartana in omni ſene, grauida & reliquis ſanguinẽ mittendũ

eſſe à Botallo doceri aſſeris. Cum tamẽ ille indefinitè aut in parte eas propoſitiones ſemper enuntiet. Præterea eius ſententias vel mutilas proponis, vel corrumpis, in varióſque ſenſus malitioſè diſtorques, vt tuarum reprehenſionum telis facilius pateant: denique paſſiui mendax, garrulus, nugator, & imperitus, vbique verò maledicus & iniquus conuitiator deprehẽderis, quemadmodum nos ſingula ſuo loco breuiter demonſtrabimus, exorſi à præfationibus tuis, quibus tanquam leuis armaturæ excurſionibus antequã ad rem venias, Botallum laceſſis. Placet verò primum orationis tuę exordium, quod veluti frontiſpicium tam præclaro operi appoſuiſti contemplari, vt quam accuſationi tuæ cauſam obtrẽdas melius intelligamus. *Sæpenumero*, inquis, *Botalle, & conſtanti fama & multorum ſermonibus qui tibi apud ægrotos adſuerãt, à quibus in ſumma ſalutis deſperatione accerſitus fueras antea intellexerã tibi eouſque placere ſanguinis detractionẽ, vt neminem in eo remedij genere frequentiorem, & liberiorem vel vidiſſent vel etiam accepiſſent: quod cum vehementius admirarer, vt eſt omniũ hominum*

*minum animis, qui ſtudio quodā præcipuè delectantur, innata quædam eorum diſcendorum cupiditas, ex quibus ſe in illuſtriores artifices euaſuros putant, incredibile eſt quanta contentione in cauſam incubuerim quæ te iu eam cogitationē impuliſſet, vt eo remedij genere quo neminem niſi magna cum cautione prouiſionéque vſum animaduertiſſem confidenter vtereris, in qua cum nihil profeciſſe mihi viderer, tempus quoddam expectādum putaui quo illius ex tuo ipſius ore habendæ mihi poteſtas fieret. Verum moram tantam ſuſtulit libellus quidam de ſanguinis miſsione à te editus.*

Admiratio Villice, primùm homines ad philoſophandum induxit, vt ſcribit Ariſtoteles, ſed illa, vt video, te nūc ad maledicendum & calumniādum impulit. Admiratus es Botalli rationem in mittendo ſanguine, etiam in ſumma ſalutis deſperatione, ídque non in vno, aut altero ægrotante tantum, ſed in magno eorum numero, præſentibus aliis celeberrimis medicis: (eo enim ſpectant illa tua verba, ſæpenumero, conſtanti fama, multorum ſermonibus) admiratus inquam es, bene eſt: ſolemus enim admirari res magnas, egregias,

nouas & inuſitatas. Nouũ autem tibi erat ſanguinem mitti tam copioſe, vel tam frequenter, in illis morborum anguſtiis, & (quod præcipuum eſt) tam fœlici ſucceſſu. quod etſi tu tacendo malitiosè diſſimulas, id tamen omnes boni & æqui lectores per te ſatis inde intelligẽt: cum nulli dubium eſſe poſſit, quin ſi infœlix fuiſſet exitus, eum, tu tanquam reprehenſionis tuæ caput multis modis exagitaturus fuiſſes. nec tamẽ etſi diſſimules, negare ſaluo pudore potes in tãta teſtimoniorum fide & copia. Incredibilis verò illa contentio, qua te in cauſam incubuiſſe ſcribis, verè incredibilis eſt. Nam non eſt veriſimile te eius rei cauſam tueri voluiſſe (ſic enim in cauſam incumbere Latini dicunt) quæ tibi ignota eſſet, & effectus gigneret, qui tibi parum probarentur. Præterea ſi per te ipſum eam cauſam inuenire non poteras, quodnam tempus tibi expectandum eſſe dicis, quo ex illius ore eam addiſceres? Illũ vt à multis audiui, in foro, in tẽplo, in via, in regia denique ipſa & paſſim obuium habebas, ac etiã alloquebaris, quid prohibuit quominus cum homine omnium humaniſſimo,

mo, & facillimo ea de re amicè & familiariter cõferres, incredibilíque huic tuo deſiderio ſatisfaceres? Sed tu longe aliud animo verſabaris, admonitiones, animaduerſiones, ſcribendi gloriam cogitabas, contentióque tua eò tãtum ſpectabat, vt contẽderes: nec diſcere optabas, ſed dicere ſeu maledicere potius quodque ſolent ij qui anticipatas ad cognoſcẽdum aliquid adferũt opiniones, vt prius vel amplectãtur, vel auerſentur aliquid, quã id recte nouerint: ita euenit, vt tu cum male affectum animũ ad Botalli rationem inquirendam attuliſſes, eam prius oderis, quã cognoueris, ſeu prius te ad eam impugnandam, quam ad eam intelligẽdam cõparaueris. Sed quum nihil dum tibi eſſet, quo hanc maledicendi cupiditatem expleres, recte inquis tibi expectandum fuiſſe tempus huic rei commodum & opportunum, quale tibi viſum eſt offerri ab editione eius libri de curatione per ſanguinis miſſionem. Illud priuſquam elabi ſineres, humanitati & probitati maledicendum tibi eſſe exiſtimaſti. Pulchrum vero & glorioſum tibi videtur ſæpe in Lutetię Compitis libro aliquo edito legi

to legi & teri per bibliopolarum officinas. Qui ſcribendi pruritus & cacoethes etſi nimis multos hodie vexat, tibi tamen aliqua ex parte condonari debet in tãto otio, quo plus quàm ſatis ſit, & fortè, quàm tu velis abundas:addo & in hac innoteſcendi cupiditate, qua,vt videre eſt, totus exæſtuas. Nam doctrinæ & latinitatis tuæ populo oſtentandæ,hæc vna tibi via reliqua eſſe videtur. Commodius vero & facilius cuique eſt reprehendere, & in alieno opere ingenioſum eſſe, quàm ſuo ſtudio & induſtria, aliquid humano generi vtile inuenire & commentari. Sed mi Villice,ſi qua animum tuum gloriæ conquirendæ cura ſolicitabat,præſtabat meo iudicio eam melioribus auſpiciis inchoare, quã alieni nominis iniquiſſima detractione, qua vt famæ forte aliquid, laudis certe nihil quiſquam ſibi vnquam comparauerit. Habes itaque pellem, vt putas, tuis dentibus dignam: videamus quam hos ſtrenuè in ea fatiges atque exerceas. Reprehendis primum in Botallo quod eo remedij genere, quo neminem vnquam, niſi magna cum cautione vſum eſſe animaduertiſti, ipſe

tam

tam confidẽter vtatur. At, Villice, nõ ſunt hæc contraria cum cautione & cõfidenter vti, imo coniũcta, probíq; & periti artificis propria. Nemo enim niſi qui artem probe nouerit, cautionem qualem oportet adhibere poteſt: & quod faciendum ars imperat, ipſe eius cognitione fretus confidenter, ſecurè & alacriter aggreditur. nec dubitat, anxiúſque hæret imperitorum more: imperitiæ enim, vt ait Hippocrat. in lege alacritatis animíque ſecuritatis & fiduciæ expers eſt. ab his cum cautiones tuæ ſeiunctę ſint, iam non erunt cautiones, ſed imperitæ potius & ab omni arte alienæ trepidationes. At, inquis, audẽtius ſanguinem mittit quam hactenus in vſu fuerit. quid ſi audentius, id eſt frequentius, copioſius, & in pluribus mittendum eſſe ratione & experiẽtia cognouerit, num ideò mitti non debere contendes, quia vulgaris vſus repugnet? Tu ſtandum putas, vt opinor, veteri illi, & vulgato rithmeto ver ſiculo, *Non eris illuſus, ſi tenes, quod tenet vſus.* At nos cum optimis philoſophis certo ſcimus latiſſimè patere medicinæ campum, poſſéque continuò hominum induſtria &

ſtudio

ſtudio aliquid è naturæ gremio pene infinito in lucem proferri antea vel omnino ignotum, vel longa deſuetudine obſoletum, quod alioqui hominum ſaluti conferre poteſt. Adeo vt ad medicinam conueniẽtiſſime traduci queat, quod Demea ille Terentianus de communi vitæ vſu dixit:

Adelph. act. 5. ſce. 4.

*Nunquàm ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,*
*Quin res, ætas, vſus ſemp̄ aliq̄d adportet noui,*
*Aliquid moneat: vt illa quæ te ſcire credas neſcias:*
*Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Quod accidit ingenij humani imbecillitate, quæ in hac vita breuitate præclariſſimæ artis amplitudinem & difficultatem perfectè complecti nequit. Non enim tecum ſentio, qui vt Botalli inuentum eleues, & nobis perſuadeas, te lucernario tuo ſtudio conſequutum eſſe omnia, quæ ad perfectum medicum pertinent, imperitiſſimè ita ſcribis, *Nam ſi nihil hodie in medendi artem induci poſſe dixero quod veterum medicorum literis conſignatum non ſit, & experimentis*

Fol. 14.

*mentis confirmatum, adeò vt quicunque labore & induſtria eniti voluerit, vt quæ eruditiſſime à Græcis, Arabibus, & Latinis immortalitati prodita ſunt, animo complectatur, ægris deeſſe non poſſit, fortaſſe tam falſam, quàm tu opinionem habuiſſe non videbor.* Quam tuam ſententiam, vt confirmes, Galeni locum ſubnectis ex lib. de ſubfigurat. empirica cap. 9. inquiētis: Cum vnius hominis vita ad omnem inuentionem ſufficere nequeat, longi temporis obſeruationes hiſtoria colligit. Vbi non potui non ad mirari cæcitatem tuam, qui eum Galeni locum adferas, qui tibi δὶς διὰ πασῶν aduerſatur. Vt ſi quis tuam illam ſententiam Galeni auctoritate refellere velit, non poſſit id commodius & certius facere, quam ſi eum tibi locum opponat. Appellant verò ab ea tua ſententia diémque tibi dicunt, & morbi noui, quibus noua medendi ratio neceſſariò inuenienda eſt, & neotericorum inuenta, clariſſimorúmque medicorum continui labores in experiendo, examinando & denique docendo, qui fruſtrà eſſent, ſi nihil ab eis proferri in medium poſſet, præter ea quæ prodita à veteribus reperiuntur. multa perpe

ta perperam, aut imperfectè tradita, multa prætermiſſa & ignorata fuerunt, quæ tempus (quod propterea Thales Mileſius vocauit σοφώτατον ἁπάντων. ἀνευρίσκειν γὰρ τὰ πάντα) adinuenit paulatímque corrigit, & abſol-
, uit. Scientiæ votum & opus, inquit Hippo-
, crates initio de arte, mihi eſſe videtur in-
, uenire aliquid eorum, quæ nōdum inuen-
, ta ſunt, quod notum quàm occultum eſſe
, præſtet: ſimilitérque & ſemiperfecta ad fi-
, nem perducere & abſoluere. Quare cum ſummi Hippocratis veſtigia ſequutus Botallus rem medicam ſua induſtria pro viribus exornare, téque quod neſcias docere conetur, eſt quòd ei gratias cum bonis omnibus viris potius agas, quam vt contumeliis & calumniis eum laceſſas, quod
Fol. 5. ea de cauſſa te facere ſcribis: *Vt poſthac*, inquis, *tãtùm tibi in medicina, ne ſumas, vt vnus pluſquã cæteros omnes* (ſic enim æquè parum grammaticè ac parũ modeſtè loqueris) *ſapere tibi videaris*. Inde eadẽ modeſtia, illum Ennij verſiculum in eum torquere niteris: *Qui ſibi ſemitam nõ ſapiũt, alij mõſtrant viam.* Scito Bonauentura, viam quam ſuo illo libello medicinæ ſtudioſis monſtrat Botallus

tallus

tallus, ipſum iam à multis annis ingreſſum eſſe, eáque quotidie incedere in maxima hominum luce, non Lutetiæ ſolùm, ſed & in celebrioribus aliis Galliæ vrbibus, in regia, in caſtris, maxima cum fœlicitate, & ſumma ſui nominis commendatione, & gloria apud reges, principes, optimates, ciuiúmque numerum penè infinitum, quãtam tu nũquam adepturus es, niſi meliore quàm cœpiſti pede perrexeris. Cum vero aſſiduo medẽdi vſu, induſtriáque ſua, quæ plane eſt admirabilis, multa annotatu digniſſima, & vtiliſſima obſeruauerit, obſeruationes & meditationes ſuas benignè, candidéque & ſine vllo fuco in medium profert in communem vtilitatem. Quare eius conſilio & exemplo ducti multi non tantùm λόγῳ, vt in lege Hippocr. loquitur, ſed etiam ἔργῳ medici eandem cum illo viam ineunt: & tantum abeſt, vt quenquam id feciſſe vnquam, quod ſciam, penituerit, vt in dies magis ac magis inſtitutum laudent, Botallóque ſummas habeant gratias. Etſi verò alij, & ipſi inſignes & clari medici paulo aliud ea in parte iter ſequãtur, minimè tamen diuerſa ſentien-

tes,adeò iniquè ferunt, quemadmodum tu facis, vt eos maledictis proſequantur. Tu autem etiamſi vt audio,nullum medicinæ vſum teneas, nulli vnquã mitti ſanguinem iuſſeris, ac fortè nec videris quidem, audes tamen, ô impudentiam, cautiones in mittendo ſanguine adhibendas Botallo præſcribere. quis hîc tibi illum Ennij verſiculum rectius cõuenire quam Botallo non dicat, & non protinus exclamet Sus Mineruam? Tibi adhuc in ſcholis verſari videris, vbi contentioſo clamore nihil quandoque non controuertitur,& ab aduerſario extorquetur; in quibus tamen congreſſibus ſciunt omnes tui ſodales, adſtantéſque medicinæ ſtudioſi quam tardus & hebes ſemper fueris. Quam infamiã credibile eſt te eluere voluiſſe hiſce tuis tam bellis animaduerſionibus: ſed quam fruſtra & nullo ſucceſſu,intelligent omnes ſtudioſi lectores, ad quorum manus illæ peruenient, nóſque infrà palàm demonſtrabimus.

Pergis conſectationem tuam, & quoniam Botallum ad ſuæ ſententiæ confirmationem frequenter Hippocratis aucto-

ritat

ritate vti animaduertis, tu eius hoc præſi-ſidium penitus labefactatum iri putas, ſi dixeris ab illo Hippocratem minime intelligi, quia eius Latina interpretatione tantum vtatur, quod tu prolixa periodo atque Fol.6.a.
male contexta oratione veluti balbutiens ſignificare niteris, ſed falleris, Villice. Nam etſi nihil Græcè Botallum intelligere, te vero eius linguæ peritum eſſe tibi conceſſero, (quod tamen vtrũque falſum eſt) non efficies tamen, vt te ſummi illius viri ſenſa æquè benè ac ipſum Botallum rimari atque eruere poſſe credam. Vt enim ipſe interpretis culpa aliquot fortè locis decipiatur, ij tamen pauci admodum eſſe poſſunt, & huiuſmodi vt ad opus medicum parum vel nihil omnino conferant: (nam exiſtimo Botallum in hac quoque re Galenum imitari, qui ait Comment.2. in 6. Epidem. 26. ſe ſcriptis Hippocratis & aliorum anti- « quorum ſimpliciter fidem non adhibere, « ſed examinare tum ratione, tum experien- « tia, an verũ ſit aut falſum, quod ſcripſerũt.) « cætera verò acri fultus iudicio, artiſque notitia, quæ eius longa & diligenti tractatione tantum conſummatur, atque perfi-

citur, vt Gal. Ariſt. ipſéque Hippocr. paſſim teſtantur, optime intelligentia conſequetur. Tu contra, tametſi fortè vnum, aut alterum locum Lexici, aut tabularũ tuarum ſcholaſticarum adminiculo contra interpretem reprehendas, vel etiam emendes, quum tamen, quæ ad Hippocratis obſcuram breuitatem & artificium animo perſcrutandum & concipiendum præcipua ſunt, tibi deſint inſtrumenta: ſolum in illo Dauus eris non Oedipus, aut extremam tantum lambes ſuperficiem, nihil autem de interioris nuclei ſuauitate deguſtabis. Nam ſi qua in arte, maximè in medicina (quæ vt omnium præſtantiſſima, ita eſt & difficillima) doctrinam & exercitationem ſibi neceſſariò mutuas operas tradere oportet, vt eius intelligentiam rectè conſequaris. tam enim arcta eſt earum coniunctio & neceſſitudo, vt niſi altera alteri facem præferat, perpetuò in tenebris & maxima ignoratione verſeris. Vnde illud Hippocratis libello de articulis, non ſatis eſſe ſermonis doctrinam noſce, ſed (vt in præceptionibus monet) ſi quis volet facilè & minime delinquētem habitum ſibi cōparare

parare iis, quæ fiũt inhærere, & circa ea vel maximè verſari oportet. Quare maximè falli, ac decipi ſua opinione mihi videntur qui vſu & exercitatione deſtituti, vmbratili tantùm & otioſo ſtudio freti medicinæ myſteria in breui & exacto Hippocratis ſermone deliteſcentia interpretari ſe poſſe confidunt. Redeo ad Hippocratem, cuius paulò poſt te ſtudioſum defenſorem aduerſus Botallum ſtatuis, quod illum parcius quam opus eſſet aliquãdo ſanguinem mittere dixerit. *Quem errorem,* inquis, *alio errore cumulare voluiſti, cum te Hippocratem ducem habere ſcripſiſti. Cui idcirco te illi ignoſcere nolle prædicas, quod errore recognito ipſe ſibimet in publicam vtilitatem parcere minime voluerit.* Tantum tibi eſt, Botallo contradicendi ſtudium, Villice, vt quidquid dicat, error illico tibi ſit, adeóque tibi error eſt familiaris, vt eum ſemper in mente, in ore, in penna habeas nec etiam ab Hippocrate abſtineas, quem tuendum ſuſcipis, quin illi erroris crimen impingas, etiam diſſentiente Botallo. Rectè & modeſtè Botallus fecit, qui à veritate coactus paululum alicubi ab Hippocratis & Galeni ſententia de-

flectere, id prius non tentat, quam eius rei veniam à tantis præceptoribus poſtulet, ac etiam impetret. Nam ſi illi cum ſe aliquando errorem commiſiſſe animaduerterent, tantùm abeſt vt eius culpam detrectarint, vt eam etiam palàm & publicè recognouerint, credibile eſt eos, ſi viuerent, non ægrè laturos, ſi nos in eadem cauſa vt hominum ſaluti conſulamus, de eorum errore, ſi quis ſit, medicinæ ſtudioſos admoneremus. Sic enim ſcribit Botallus. Hinc ſynceriſſimus & veritatis amantiſſimus Hippocrates (quæ verba, tu, dum hanc adducis ſententiam, conſulto & dolosè prætermittis) nulla affectus erubeſcentia cauſam interitus Antonomi, Eupolemi, & aliorum aliquot ægrotantium ſuæ & ſuorum ſodaliũ negligentiæ tribuere nõ eſt veritus, &c. Quem Hipocratis heroïcum, & diuinum candorem Cornelius Celſus præclaro elogio celebrat, quod quia non ita pridem Achilles Bocchius in ſuis Symbolis eleganti carmine expreſſit, illud hûc adferre placuit:

Lib. 3. Symbol. 84.

*Dum fortè curaturus effractum caput,*
*Magnus ſpecillo explorat os Hippocrates*

Deceptus

*Deceptus à ſutura amicè, & liberè*
*Confeſſus errorem eſt ſuum ipſe poſteris;*
*De more ſcilicet virorum illuſtrium,*
*Et maximarum habentium fiduciam*
*Rerum: ingenia enim leuia quæ nihil prorſum habent,*
*Nil detrahunt ſibi. Sed altis conuenit*
*Syncera veri hæc mentibus confeſſio.*

Tu verò ſuperiora Botalli verba, vbi recenſuiſti, mox exclamas: *Obſecro te per Deum immortalem, Botalle, legiſtíne vnquam negligentia Hippocratis commiſſum fuiſſe, vt Antonomus & Eupolemus de vita decederent? indica ſi potes. Equidem legiſſe me memini Antonomum cum æſtate media vehementi lapidis iactu in medio ſyncipite, vbi ſita eſt ſutura quæ ὀβελιαία dicitur, plagam accepiſſet, die decima ſexta interijſſe, quia tardius quàm oportuiſſet ſectus fuiſſet, non quidem Hippocratis negligentia, vt tu falsò criminaris, ſed quoniam à ſuturis deceptus fuiſſet, in quibus inflicta fuerat, more ſcilicet magnorum virorum,* &c. Hîc quid tibi velis his verbis (more maiorum) intelligere nemo poſſit. quid enim more maiorum factum eſſe dicis, inflictámne plagam, an Hippocratem deceptum? ad alterutrum Fol. 6 b.

ſiquidem illud referri eſt neceſſe, vtrum dixeris ineptum effici orationis ſenſum oportet. apud Celſum verò vnde deſumpta ſunt, ea verba aliter ſe habent. Addis ex eodem: *Sutura enim eo nomine fallere poteſt, quia aſpera eſt: vt aliquis hãc eſſe, etiam ſi rima eſt, facilè exiſtimet eo loco, quo ſubeſſe hanc veriſſimile eſt. Eupolemus verò, vt eodem libro legitur, cum poſt vehemẽtes coxendicis dolores pus multùm coxendicis articulum obſediſſet, cruſtis magnis & varijs inuſtis interijt, quòd opportunum tempus adhibendi remedij effluere permiſiſſet.* Sed hic nõ erat ſubſiſtẽdũ. id quoq; quod Hippocrates ſubiungit addere debebas.
„ Si opportunè, inquit, vna aut altera ſectio
„ facta fuiſſet, per quas liberè pus effluxiſſet,
„ mihi quidem videtur quòd priſtinæ vale-
„ tudini reſtitutus fuiſſet. Ex his nemo non videt (te vnum ſemper excipio, qui in clariſſima luce caligare ſoles) Hippocratem, ſiue is magnus ille fuerit, ſiue Draconis filius, ſiue Theſſalus, vt Galenus dubitat, fateri hos duos ægrotantes ſua ipſius incuria vel etiam errore interiiſſe, cùm apertè dicat credere ſe illos potuiſſe liberari, ſi Antonomo cranium maturius apertum,

Eupol

Eupolemo autem vnum aut alterum in coxa emiſſarium factum fuiſſet. Sed tu vt aliquid ſapere videaris, téque magnum (ſi Diis placet) Hippocratis defenſorem eſſe oſtendas, vim facis in negligentiæ vocabulo, quo Botallus vtitur, Hippocratémq; ſolum deceptum fuiſſe dicis, id eſt, mauis Hippocratem imperitum appellari, quam negligentem. qui enim decipitur, præ imperitia decipiatur eſt neceſſe. ô præclarum defenſorem! quid? grauiúsne tibi videtur negligentiæ crimen, quam imperitiæ? At fieri poteſt, vt ſi quis negligenter morbum tractet, eius tamen negligentia nō noceat, (cùm ſæpe natura per ſe ſola nullius adiuta medici opera morbos curet) quin potius iuuet, nō auocata natura à ſuo opere, à quo ſæpe interpellatur importuna quorundam diligentia in præſcribēdis remediis. At nemo circa ægrum quidquam imperitè facere poteſt, quin obſit, & damno ſit, ita vt ſæpe lethalem morbum faciat, qui ſua natura erat ſalutaris. Porrò probabile non eſt Hippocratem in Antonomo imperitum, non negligentem fuiſſe: Nam cum optime teneret notas diſcernendi oſſis læſionem à

ſutura (eas enim ipſe docuit libello de articulis) certè diligentem in earum conſideratione operam adhibuiſſet, illi ſutura non impoſuiſſet. Nec hîc habes quod reſpondeas, niſi ex præclara hac tua oratoria arte dicas eum notas illas turpiter ignoraſſe. Sed hoc nõ eſt Hippocratem tueri, Villice, ſed accuſare potius. Dij bene fecerũt, qui te cauſarum patronum eſſe noluerunt: clientum enim tuorum ſic præuaricando cauſas peſsime prodidiſſes. Quoniam vero video te cum Corn. Celſo ab oſsis aſperitate iudicare, rimam in illo eſſe, & propterea deceptum fuiſſe Hippocratem, qui ſuturam eſſe putauerit, quę rima erat, quoniam ſutura quoque aſpera eſt, propterea que non fuiſſe os perforandum, quòd rima nulla in eo appareret: diſcito hîc tum ex Hippocrate, tum ex ipſius Botalli libello chirurgico quem omnes medicinę ſtudioſi manibus terunt, perfodiendi cranij indicationem ab oſſis aſperitate, quam vis externe intulerit, non ſemper deſumi, nec cum ſumitur, ab ea ſola ſumi: vt etiam nec ſi integrum os ſit, omnem illius aperiendi occaſionem ſublatam eſſe. Nam ſæpe accid

Liber Botalli de vulneribus ſcolpetorũ.

pe accidit vt teli veſtigium euidētiſſimum ſit, quòd tamen terebello minime eſt pertundendum: itémque os ſanum, & integrum appareat, quod tamen eſt perforandum. Ab oſſis igitur noxa perfodiendę caluarię ſignificatio prorſus capienda non eſt, certius eam tibi ſubminiſtrabit cerebri læſio, quam ex propriis ſymptomatis, quæ eam ſubſequi ſolent, coniicere licet: item oſſis depreſſio, aut alia huiuſmodi noxa quam cerebro, aut eius membranæ iniuriam iam intuliſſe, aut mox illaturam eſſe putes. Verùm de his plus ſatis: ad reliqua properemus. Paulò poſt hoc inſigne tuum defendendi artificium ad Botallici libelli diuitias in lucem proferendas, te accedere ſcribis, cùm tamen pro illius diuitiis, ingenij tui inopiam nobis tantùm ſpectandam paſſim proponas. inquis, *Quum ab aliquo intellexiſſes de Hippocratis ſententia medici officium duabus rebus contineri, nempe detractione eius quod redundat, & adiectione eius quod deeſt, ne ab ea recedere velle59 videreris, medēdi artem circa illa duo potiſſimùm verſari ſcripſiſti: verùm ſi tertium, quod ſanè medium dictorum eſt, tutelam, ſcilicet eius quod eſt rectè à natura* Fol.8.b.

*conſtit*

*conſtitutum, adÿceremus nihil reliquũ futurum.* Proculdubio, Villice, ab aliquo intellexit, qui ab Hippocrate didicit. Sed video quid innuere velis. In Hippocrate id nõ legit Botallus, qui illius Latinam interpretationem tantùm legit, vel ne id quidem, ſed tantùm ab alio quopiam homine prolatum audiuit: quidquid dicas, petulans es, idémque ineptus & inſulſus conuitiator. Dicebam ſuprà melius quàm à te Hippocratem ab illo intelligi: addo hîc & frequẽtius eius manibus teri, & oculis legi, adeò vt nullam in eo autore: lineam aut ſententiam eſſę exiſtimem, quã ille non diligenter conſiderauerit & excuſſerit. Apage itaque inſulſas has & inertes obtrectatiunculas. æquius fero reprehenſionem quam adnectis eius, quod dictum eſt à Botallo de tutela eius, quod rectè eſt à natura conſtitutum, quam tu fruſtra addi ſcribis, quoniã reliquarum duarum ambitu continetur. Reſpondeo tibi illam minime addi à Botallo, vt Hippocratem taxet, cuius illic nullam facit mentionem, ſed tantùm vt ea ab aliis duabus ſeiuncta omnium intelligentia planior rudibus fiat, atque facilior. Eius conſilium, atque

atque rationem accipe. Medicinæ ſubiectum eſt humanũ corpus,quod vel ægrum eſt,vel ſanum,vel neutrum:ægro & neutro debetur detractio eius, quod eſt ſuperfluũ, & adiectio eius quod eſt diminutum. Sano cùm nihil deſit aut ſuperuacaneũ ſit, neutra conuenit, ſed tantùm præſentis integritatis conſeruatio. quod monet Celſus inquiens non eſſe opus medico,neque reunctore homini ſano & ſuæ ſpontis. eò etiam ſpectat illud Hippocratis, Interdum ſumma eſt medicina, nulla vti medicina. Nec obeſt quod de ciborum adiectione, & excrementorum excretione in tuenda ſanitate dicere potes, aliud præterea in illa eſt obſeruandum, nempe vt nihil in ſani hominis conſueta viuendi ratione immutetur, nihil addatur, nihil minuatur: idq́; eſt quod Hippocrates & Celſus iis locis quos mox attuli innuere voluerunt. Addit præterea Celſus cauendúmque ne in ſecunda valetudine, aduerſæ præſidia conſumantur. Quibus prudentiſſimorum virorum verbis notatur imperitum & importunum quoddam medicorum genus,qui à nemine vnquam vel ægroto, vel ſano, ſibi

tamen

tamen fortè timente, conſiliúmque poſtulante, diſcedunt, quin prius aliquid addendum, aut ſubtrahendum, medicamentúmque aliquod ſumendum, vel aliud quidpiam factitandum imperent, atque præſcribant, quibus fortaſſe conſultum melius foret, ſi vel ſoli naturæ committerentur, vel in conſueta viuendi ratione continerentur. Hos quoq; medicos notat Gal. 1.
« de dieb⁹ decretoriis, inquiens, Cõmittun-
« tur autẽ errata quandoq; à medicis iis ad-
« mirandis, qui nihil artificiosè ſe feciſſe pu-
« tant, niſi omni ingreſſu quidquam præſtent. *quapropter non abs re alibi quoque ab eo*
« *ſcriptum eſt*, quamplures ægrotantes in le-
« cto contabeſcere ob medicorum imperi-
« tiam, qui aut ſola ope naturæ, aut pruden-
« tis medici auxilio biduo potuiſſent explicari. Ex his videre potes, Villice, quàm non male te monuerit Botallus cõſeruationem ſanis conuenire, quæ nec adiectio ſit, nec detractio, ſed quodammodo inter vtrũque media. quare in diuidendi leges minime peccauit, vt tu vociferaris. Sed reliqua perſequamur. Statim ſubdis: *Sed docendi ratio-*
Fol. 10 a. *nem à te non exquiro, qui experientiam tantopere*

*pere admiraris, vt in ea omnes medicinæ opes ſitas eſſe exiſtimes.* Hãc calumniam, quia vna eſt ex tuæ inſectationis columnis, tu paſſim alibi repetis, atq; inculcas. Paulò poſt addis: *Eſto vt aliquid tibi proſpere ceſſerit, cum conſimile quid in alio tentaſſes, propterea ne tãti tibi experientia eſſe debet? Imò te cogitare oportuerat, ſi quid tuis votis reſpondiſſet id fortunæ magis quàm ſapientiæ acceptum ferendũ fuiſſe.* Fol. 10. b
Nec his cõtẽtus alibi ais: *Experientia verò quæ nulla ratione magiſtra, ſola imitatione contenta vtitur, qualem eſſe eam quam in morborum curatione adhibere ſoles, ex obſeruationibus quarum multitudine gloriaris, ſatis apparet, tam parui momenti eſt vt, &c.* Apertè iam animi tui morbum prodis, Villice, nec diu lectorem dubitare ſinis, quæ te cauſa in hanc arenam impulerit, veritatíſne ſtudium an maledicentiæ, cuius hîc vela tam latè pandis, vt omni depoſito pudore, ea de ſapientiſſimo medico ſcribere non verearis, quibus grauiora de empirico ſeu alio quopiam periclitatore dicere non poſſis. Næ, ſi hanc tam inſignem calumniam à Botallo depellere tẽtem, ſtudioſi & æqui lectores, quibus eius laus & virtus perſpectæ ſunt,

etſi iuſtam minime tamē neceſſariam operam me inſumere dicent. reſpondebo tamen tibi pauca de fortuna, cui fœlices omnes ſucceſſus Botalli curationū tribui vis, nō eius arti & peritiæ. Sic enim & eius laudem obtriuiſſe, & eius ſententias ac rationes, quas huiuſmodi exemplis comprobare nititur, infirmaſſe putas: ſed falleris. Omnes qui Botallum probum virum nouimus, eiúſque doctrinā & induſtriam perſpectā habemus, veras illum hiſtorias ſcribere, artéque & iudicio morborum curationes aggredi & ſuſcipere exiſtimamus: vt ſi fortuna aliqua in earum ſucceſſibus appareat, ad ægrotos, qui eius arte curati fuerunt, ſolum pertineat: quum bene fortunatos eos ægrotantes appellet Galenus, qui correpti peſſimis morbis, in boni alicuius medici manus incidunt: ipſi verò medico, qui ex arte rem aliquam aggreditur, ſiquidem optatum finem conſequatur, ſapientia magis quàm fortuna adfuiſſe rectè dicetur. Nam fortunæ euenta vt Ariſtotel. docet, pauca ſunt & admodum rara: artis verò (vt & naturæ, cuius illa eſt imitatrix) boni ſucceſſus plurimi, & frequentes: quales

les ſunt ij qui tibi à Botallo ad quamlibet ſuam rationem confirmandam proponuntur : vt non tantùm inuidus & maledicus, ſed & rerum ignarus dici poſſis, qui illius tot & tam frequentes eiuſdem rationis curationes fortunæ magis quam arti & induſtriæ adſcribendas putes. quid facias de infœlici aliquo euentu, qui artifici etiã optimo contingere poteſt, qui etiam bonos & fœlices vituperes, & illi vitio vertas? ſed ad reliqua properemus. Botallo ſuccenſes, quòd dixerit, operæpretium imò & pernoceſſarium eſſe medicinam factitare volenti, magis in idonea operũ actione quàm in facunda oratione vel arguta ratiocinatione eſſe verſatum, quaſi his verbis doctrinæ experientiam præferat: cùm tamen illic de neutra loquatur, ſed tantùm eloquentiæ & dialecticarum, ſeu ſophiſticarum potius ſubtilitatum ſtudium, (quo apparatu & veluti fuco, quidam populo imponentes ſe pro optimis medicis venditant) cum diligenti obſeruatione eorum quę in morbis accidunt, comparans, hanc in medico illis præfert, & ad morborum curationem, quæ medicinæ ſcopus eſt, vtiliorẽ eſſe per-

ſpicua ratione docet. de qua re ſi dubites, nec eius rationi acquieſcas, teſtẽ adferet Cornel. Celſum ſic ſcribentem: Ingenium & facundia vincit (ſcilicet in diſputationibus) morbi autem non eloquentia, ſed remediis curantur, quæ ſi quis elinguis vſu diſcreta bene norit, hic aliquãto maior erit medicus, quàm ſi ſine vſu linguã excoluerit. Quare de ſui temporis medicis cõqueritur Galenus inquiens: Medici recentiores in eam quæ magis ſophiſtica eſt receſſerunt formam, aſpernati quidem ea, quæ circa ægros fiunt exactè obſeruare, atque eorum affectus inueſtigare, &c. & alibi ſophiſtas vocat eos, qui quæ nunquam in ægrotis obſeruare eſſent conati, de iis tamen rixantur impudenter (quemadmodum tu in hac contentione facis) veluti ſexcenties illa vidiſſent. Nihil itaque erat in ea Botalli ſententia quod reprehendere poſſes: ſed fortè eam tibi inuertere & aliter interpretari placuit, vt tibi rixandi materia ſuppeteret. Sed vt ita ſentiat quemadmodum tu ſcribis experientiámq; ad medendum plus momenti, & commodi habere quam doctrinam dicat, benè ſentit, & dicit, tu verò in

Com.3. in 6. Epidem. 28.

Lib. de diff. ſpir. cap.12.

in maximo errore verſaris, qui aliter ſtatuis, eiúſque ſententiam refellere conaris. at certè conaris tantùm: nihil efficis. etſi verò plures ea in re paginas conſumis, tamen cum rationem, quam illic cum experientia committis, nullo rationis adminiculo ſuſtentes, ſed eam tantùm Ariſtotelis autoritate tuearis, certè ſi hoc præſidium, in quo tamen ſolo omnem victoriæ ſpem reponis, tibi ſubtraxero, ac ad id quod ius confirmãdum minime aptum eſſe docuero, illam è veſtigio lite cadere victricíque experiẽtiæ manus dare erit neceſſe. Primò locum ex Ariſtotel. Metaphyſicis adducis, ex quo video te ſummi magiſtri mentem minime aſſecutum eſſe. Vt verò res de qua agitur rectè intelligatur tollenda, primùm eſt omnis dubitãdi occaſio. Cùm rationem ſeu doctrinam experientia potiorem eſſe dicis, vel doctrinam & experientiam ita vſurpas, vt altera alterius expers ſit, vel vna tantùm expers ſit, altera autem alteri coniuncta eſſe intelligatur. Nam doctrina vel coniunctam habet experiẽtiam, vel eadem caret. Idẽ de experiẽtia dicas eam vel eſſe cũ doctrina, vel ſine doctrina. Tres itaque

comparationis modi oriuntur, vel doctrinæ ſolius cum experientia ſola: vel doctrinæ ſolius cum experientia quæ comitem habet doctrinam: vel doctrinæ quæ adiunctam habet experientiam, cum experientia indocta. Tu ſi doctrinam quæ rerum vſu & experientia pollet, præſtantiorem eſſe dicas experientia rationis expertę: aut experientiam quæ doctrinæ adiuncta eſt, ea doctrina quæ vſum & experiẽtiam nullam habet, neminem habes refragantem, nec in Botalli ſcriptis contrariæ ſententiæ vllum veſtigium inuenire poſſis. Fruſtra igitur laboras in probanda re adeò manifeſta, de qua nemo dubitet. Dubitatio tantùm eſſe poteſt in ea, quæ ſola supereſt, cõparatione. An inquam doctrina ſola in medendo ſoli experientiæ præferenda ſit. Tu doctrinæ palmam tribuis. Locus ille Ariſtotelis ex Metaphyſicis, cui inniteris, inter
, cætera ſic habet: Nihilominus tamen eius
, ſciẽtiam tenere, quod ex vſu eſt, magis ar-
, tis eſſe quàm experientiæ arbitramur, ac
, eos qui artem perceperunt, quam eos qui
, experientia nitũtur, ſapientiores eſſe pro-
, pterea putamus, quod ad ſapienriam co-

gnitionis,

gnitionis,& ſcientiæ beneficio magis contenditur, id autem propterea fit quod hi cauſas rerum cognitas habent,illi non itē. Quem locum vt intelligas, ſuſtollere te oculos oportet ad ea,quæ paulò altius dicta ſunt, ab eodem Ariſtotele eadem pagina, quæ tu fortè conſultò non attigiſti, quoniam tuæ cauſæ nocere videbas: quemadmodum & ea quæ ſuprà omiſeras in Eupolemi hiſtoria. Illic itaque Ariſtot.ſic loquitur: Vſu atque exercitatione hominibus ars & ſcientia comparatur. Vſus enim artem,vt rectè Polus ait,genuit,caſum autem & fortunam imperitia. Ars autē tum exiſtit & comparatur cum ex multis experientiæ notionibus vna quæ ad vniuerſum genus accommodetur, de rebus ſimilibus naſcitur perceptio.tenere enim atque animo percipere hoc,vel illud Calliæ hoc morbo laborāti profuiſſe & Socrati, itémque ſingulis,vſus eſt atque experientiæ: omnibus autem huiuſmodi qui vna ſpecie contenti hoc morbo laborant, veluti iis qui pituita vel bile affecti ſint, vel febre ex æſtu iactētur idem profuiſſe, iam artis eſt. experientia quidem vſúſque rerū nihil ab arte di-

" ferre videtur, ſi ad agẽdum referatur. quin-
" etiam multò magis ac ſæpius hos animad-
" uertimus, qui vſu valent quàm eos qui ſi-
" ne vſu, ratione & arte prędití ſunt, id quod
" volunt conſequi: propterea quod experiẽ-
" tia & vſus rerum ſingularum cognitio eſt,
" ars vniuerſarum. actiones verò & effectus
" omnes in rebus ſingulis verſantur. neque
" hominem curat niſi caſu & per aliud, ſed
" aut Calliam, aut Socratẽ, aut quempiam
" aliorum qui ita dicantur, cui contigit vt
" homo eſſet. Quòd ſi quis ſine vſu & expe-
" rientia rationem teneat, & quod ad totum
" genus accommodatur, cognitum habeat,
" res autem ſingulas, quas complexu conti-
" neat, ignoret is plerunque à curatione ab-
" errabit, &c. Hanc tu lucem ex Ariſtotele,
ſi ad eam quam tibi propoſuiſti quæſtio-
Fol. 11. nem de arte & experientia, attuliſſes, Vil-
lice, rectè tenebras omnes expuliſſes, non
quidem Botalli, vt illi obiicis, ſed imperitię
tuæ cui vt faueas, librariámque tuam, &
vmbratilem medicinam tuearis, ferre non
potes, ſi quid ille etiam obiter de experiẽ-
tiæ ad medendum ſumma vtilitate admo-
neat: Nam quaſi vlcus tuum tangat, pro-
tinus

tinus iraſceris, exclamas, nihil tãdem non comminiſceris, vt ei maledicas, & eius laudem imminuas. quid enim hîc opus erat pro arte & ratione aduerſus experientiam & denique aduerſus Botallum diſputare, cum eam cõparationem illic Botallus non attingat, nec de artis dignitate ipſe optimus artifex quicquam detrahat? Nam artifices ex communibus tantùm præceptis inſtitutos ſolummodo exhortatur, vt magis vſui & experiẽtiæ, quam futilibus quibuſdam dicendi ſubtilitatibus, & phaleratis ornamentis dent operam, vt antea diximus. Vſu, inquit Ariſtoteles hoc loco, atq; exercitatione hominibus ars & ſcientia comparatur. Tu verò ex libris tuis omnia ad medendum neceſſaria adiumenta peti poſſe contendis. magis ad medendum, inquit idem Ariſtoteles, confert vſus & experientia, quam ars & ratio: Tu cõtra plus incommodi quàm commodi ab experientia proficiſci affirmas. In hac tamẽ tua tam manifeſta ab Ariſtotele diſcrepãtia audes, ô imperitiam, ab eius auctoritate cõtra Botallum patrociniũ petere, cùm Botalli ſententia optime illi cõueniat, tua verò ex ad-

Fol. 14. 15. a

uerſo repugnet. Facilè enim videre eſt ex eo loco quem attulimus, quam perſpicuè tradat Ariſtoteles, eum qui ſola fretus experientia ad medicinam factitandam accedit, multò melius & certius operari, optatúmque finem aſſequi, quam eum qui ad medendum ſolam doctrinam adfert. quæ númne eadem ſunt cum iis quæ tu in Botallo reprehendis? Quod verò tu ex eodem Ariſtotele attuliſti, non pertinet ad opus medicum, de quo erat quæſtio, ſed ad comparationem experientiæ, cum doctrina in ſapientiæ ratione quæ cùm in primarum cauſarum & principiorum contemplatione verſetur, & in vniuerſalibus tantùm cõſiſtat, nec ad ſingularia ſe demittat, vt 2. capite eiuſdem operis docet, certè medicus qui rerum cauſas doctus eſt, etſi in ſingularibus minime exercitatus ſit, ſapientis nomine dignior eſt, quàm is qui experientia ſola nititur, quæ cauſarum & vniuerſalium cognitionem non complectitur: ſed rerum ſingularium obſeruationem maximè continet. Tamen vt ſapientiorem appellet Ariſtoteles, eum tamẽ ad medendum ineptiorem eſſe fatetur, eóque nomine experien-
tiam

tiam doctrina priorem eſſe ſtatuit, rationémque reddit ex eo quod experientia ſeu vſus rerum ſingularũ cognitio eſt, ars vniuerſarum, actiones verò & effectus omnes in rebus ſingulis verſantur. Nec ab iis diſſident ea quæ ex eiuſdem lib. decimo Ethicorum adducis, vt propius inſpicienti facilè apparebit, etſi tu illa quoque in contrariũ ſenſum more tuo peruertis. Fatale enim hoc tibi eſſe videtur, vt quidquid cõtingis præ ignorantia, & contradicendi libidine illico contamines, atque corrumpas. Experientiam itaque eo loco Ariſtoteles minime doctrina inferiorem facit, quemadmodum tu nobis perſuadere conaris, quin potius illam hac præſtantiorẽ in medici operatione aſſerere videtur. ait enim doctrinã parum eſſe idoneam rerũ ſingularum adminiſtrationi, niſi earum quoque obſeruationem & experientiam habeat adiunctam, medici & gymnaſtæ exemplo qui ſi vniuerſalium ſola cognitione ducãtur vniuerſalibus tantùm pręceptis vtentur, & ille quidem omni febricitãti inediam & quietem imperabit, hic autem omnibus pugilibus vnam quampiam pugnandi rationem:

vterque magno errore: Nam fieri poteſt vt
quis ſit, cui in febre inedia, & quies mini-
me cõueniant: in exercitatione pariter ali-
quis ſit cui ea vniuerſalis pugnandi ratio
non ſit accõmodata. Quare cum hæc vni-
uerſalis cognitio atque præceptio ad vſum
traducta propter ſingularium quibus aptã-
da eſt ignoratam diuerſitatem nos fallere
poteſt, illi adiungere oportet exercitatio-
nem circa ſingularia, vt eorum propria &
peculiari naturæ aptitudine & inclinatio-
ne perſpecta quid cuique ſit accommoda-
tum & conueniens præſcribat & imperet.
› ſingula enim, inquit, accuratius fieri vidẽ-
› tur adhibita cura diligentiáque priuata. &
paulò infrà, in ciuilis ſcientiæ ſtudio neceſ-
ſariam eſſe experientiam tradit. nec multò
› poſt addit. Qui enim in rebus ſingulis exer
› citati ſunt, ij verè de officiis factíſque iudi-
› cant, quibúſque rebus, & quemadmodum
› perficiatur decorum intelligũt, & quæ qui-
› bus congruant. His optimè conueniunt ea
quæ Hippocrates in lege præcipit doctrinæ
induſtriam longo tempore adhibendam
eſſe, vt eius beneficio doctina ἐμφυσιωθεῖσα, id
eſt, inſita, & veluti in naturalem quandam
facul

facultatem commutata fœliciter & facilè fructus producat, quaſi prius quàm id fiat doctrina planè infirma ſit & inutilis: diſciplinas enim, quæ operationib⁹ dicatę ſunt, non ſolo ſedentario & otioſo ſtudio, ſed (quemadmodum docet Ariſtotel. in Metaphyſicis) ex antecedentibus operationibus in animis noſtris gigni eſt neceſſe. In Ethicorũ 2. initio quoque ait. quæ facienda ſunt cùm didicimus, ea tunc cùm agimus, diſcimus maximè. ex his autem quę hoc ipſo loco quem ex decimo Ethicôn aſſignaſti, ſcribit Ariſtotel. eum ſcilicet qui vſum rerum ſingularum habet, contẽdere debere ad res vniuerſas, eáſque quoad fieri poteſt, intelligere ſi doctus & artifex eſſe velit, non potes efficere doctrinam ſolam eſſe experientia ſola magis ad medendum accommodatã. quod in quęſtione poſitum erat. Inde tãtum concludere potes medicum qui experientia ſimul & doctrina polleat, certiorem multò perfectiorémque ac præſtantiorem eſſe eo, qui experientiam ſolam in medendo ducem ſequitur. quod vt verũ certúmque & indubitatũ eſt, ita ad id de quo agimus nihil omnino facit, vt nec duæ illæ hiſtoriæ,

ſtorię,quas ex Galeno protuliſti,quid enim aliud ex his elicias quam vnius exẽpli imitationem? Hoc te ſcire oportet, Villice, vnius exempli,cuius illic meminit Galenus, obſeruationem memoriam quidem efficere,ſed non experientiam,quam Ariſtoteles (vt paulò ante annotauimus) arti & ſciẽtiæ penè ſimilem videri, & ex multis eiuſdem rei memoriis gigni tradit. Quare cum duo illi homines apud Galenum vnius tantùm exempli imitatione decepti fuerint imperitiſſimè ſubiungis eorum hiſtoriam abs te eo adductam eſſe, vt intelligeremus ab experientia plus incommodi quàm commodi proficiſci, ſi ab arte ſeiuncta fuerit. quæ enim illic eſt experientia? númne ex his apertiſſimè doces te non ſolùm experientia carere (quod tu etiã eodem loco agnoſcis ac palàm fateris)ſed & quid illa ſit, & quomodo à philoſophis vſurpetur penitus ignorare? Mirari itaque nemo debet, ſi tibi bilem hic mouerit quod dictum eſt à Botallo de Echûs garrulitate,cui eos medicos ſimiles facit, qui medicæ quidem artis vocabula, quæ ex libris voce referre norunt. eorum tamen vim, quæ tantùm ex rerum

Fol.14.

ſingul

ſingularum dilig ẽti obſeruatione rectè haberi poteſt, mente non cõcipiunt. ibi enim tu tanquam lupus in fabula (vt aiunt) ſtatim inſurgis, Botallúmque ab huiuſmodi comparatione poſthac abſtinere iubes, nullam inquiens illis eſſe cum ea Dea ſimilitudinem. At, dum aliorum te cauſam tueri velle oſtendis, tuam apertè offendiſti & quod à Botallo in vniuerſum tantũ de vmbratili medico dictum erat, capiti tuo non minus imprudenter quàm manifeſtè tu temet aptaſti atque aſſuiſti. Hanc verò iniuriam præclarè vlciſceris: nam more mulierncularum inter ſe rixantium, quæ aliquod conuitium ſe pulchrè refutaſſe putant, ſi idem in aduerſariam illico & iiſdem verbis reiecerint, ita tu eandem ſimilitudinem in Botallum ipſum admodum ingenioſè retorques, addita etiã hîc ea calumnia, quam veluti totius tuæ accuſationis fundamentum paſſim inculcas. Illum itaque ſic alloqueris. *Tibi verò qui ſola exemplorum imitatione inſtructus* (audis bone lector tam ſæpe & odioſè repetitam eandem cãtilenam) *morborum curandorum rationem explicandam ſuſcipis, quin longè maxima ſit negare non potes.*

Rationem

Rationem addis, quæ argutiſſima eſt, & ex Euclideis proportionibus deſumpta: *Quando*, inquis, *rationem ab experientia tam longo interuallo diſiunctam eſſe certum eſt, quàm longo Narciſsi Echûs amorem repudiatis oratio omnibus numeris abſoluta ab huius imperfecta voce diſcedit.* Credo, Villice, te rationis & experientiæ tam frequentem facere mentionem, vt te in vtraque excellere nobis perſuadeas. At, quæ eſt huius tuæ rationis vis atque artificium? Quoniam experientia tantùm à ratione ſuperatur, quantũ Echûs vox imperfecta à perfecta Narciſſi voce. ergo Botallus, qui experientia tantùm vtitur, Echo eſt, & tu qui rationem tenes (nam id quoque ſequetur) es Narciſſus. Non abs re fortè fuerit hanc argumentandi formam, quia à te Narciſſo primùm prodita eſt, & Villicã & Narciſſeam poſtmodum appellare. De hac tandem tabula manum auferens, aliam reprehenſionem aggrederis.

Fol. 16. *Venæ ſectionem*, inquis, *laudas à tolerandi facilitate, ſecuritate, laudamus etiam. Et quis eam vituperet, modò ne ſummo iudicio, ſummáque prouiſione careat? Antiquitatem etiam addis, an id legeris neſcio. Ego verò cùm nec legerim,*

*nec*

*nec ab vllo acceperim, an ita ſit incertus ſum. Nam medicamentorum vſum antiquiſsimum fuiſſe ex eo ſuſpicari licet, quòd Homerus primus*, &c. Laudo ego quoque quod laudas, Villice: ſed tamen laudationem tuam minime laudo; nam cùm plena ſit dubij timoris & difficultatis, in ea tibi ipſi repugnas & contradicis. Si enim inter euacuantia remedia ſanguinis miſſionem cum Botallo laudas ab operis & tolerandi facilitate, ſecuritate, &c. quid opus erat ex penu tuarum cantionum illud addere: (*modo ne ſummo iudicio ſummáque prouiſione careat*? arte opus eſt, & propterea medicis tantùm ſcribit Botallus, at tu ſummus artifex addis ſumma, quid magis requiras in re ſummè difficili, ſumméq; periculoſa? adeò imprudens eſt oratio tua, vt laudes cùm vituperas, vituperes cùm laudas. Nã ſanguinis miſſionem tutam & facilem eſſe prædicas. Eandem illico ſummè difficilem, ſumméque periculoſam eſſe iudicas. ô Narciſſæam & planè Villicam Dialecticã? Huic, quia non cõuenit Botalli ratiocinatio, qua probat ſanguinis miſſionem minus reformidandam eſſe quàm medicamentorum

purgan

purgãtium vſum, quoniam grauiora hunc ſymptomata, quam illam conſequi poſſint: etiam ſi eam ſuperior tua laudatio, vt diximus, confirmabat: tu tamen illam poſtea
Fol.17.b. reiicis, & denique ais: *Hîc non diſputatur Botalle, vtrum hoc an illud grauius lædat.* Imò verò, Villice, hoc diſquirit Botallus; & tãdem ſtatuit, ſi incommodum aliquod ex alterutrius vſu incidere poſſit, multò facilius, frequẽtius & grauius ex cathartico quàm ex phlebotomia accidere poſſe, & ſolere. nec eſt quiſquam paulò in medendo exercitatior, qui hoc probe perpedens, & examinans, non facilè agnoſcat & concedat. Tandem vt te his perplexitatibus liberes,
Fol.18.a. locum hunc ita concludis. *Deinde planè pernego eos, qui ægrotant, vllis incommodis affici exhibito purgante medicamento, aut ſecta vena, ſi adhibito iudicio hoc, vel illud fiat.* Sed nec hoc caret repugnantia cum iis quæ ſuprà laudaueras. non poteſt enim phlebotomia cathartico præferri facilitate & ſecuritate, quin vtrunque alicui incommodo obnoxium eſſe fatearis. Pręterea cùm in arte medica difficillimum ſit, vt ex Hippocrate ſcribit Galenus initio libelli ad Glauc. reme-

diorum

diorum(præſertim purgantium) quantitatem & eorum adhibendorum occaſionem exactè & ad amuſſim definire, nihílque ſit in quo medicus etiam optimus magis cõiectura vtatur,& propterea ſępius falli poſſit, nunquam nobis perſuadebis te tuo iudicio, quod paſſim in rebus etiam facillimis deſideramus, poſſe in his difficillimis omne incommodum euitare. Si certò itaque conſtat (quidquid tu perneges) etiam adhibito iudicio ægrotātem affici incommodo aliquo poſſe in phlebotomia & cathartico medicamento, non abs re propoſuit definiuítque Botallus vtri minus periculi immineat. Hæc de facilitate & ſecuritate. De antiquitate autē incertum te eſſe, nec quicquam legiſſe aut ab vllo accepiſſe ſcribis. non legiſti ergo Hippocratem, qui eius frequētem mentionem facit; nec poſteriores medicos,qui eius antiquitatis teſtes ſunt ampliſſimi.ad eos itaque te remitto. Huic tuæ dubitationi id ſaltem debes, quod ex Plinio didiciſti de Ibide, Hippopotamo,& Nepēthe Homerico.& ſi,quod ad medicamentorum vſum attinet, nihil dum ex his credis, ſed tantùm te ſuſpicari

Fol.17.a. dicis illum eſſe antiquiſſimum. Inter hæc Botallum ſibi turpiter repugnaſſe ais, qui alicubi dixerit Hippocratem in nullo penè morbi genere ſanguinis miſſionẽ omiſiſſe, alibi verò ſcribat, Hippocratem & Galenum ad hoc auxilio receſſiſſe. ab hac repugnantia Botallum vindicat vox [aliquãdo] ex erratorũ typographi elencho, quod in libelli fine poſitum eſt, addenda illis verbis [ab hoc auxilio] quem locum tu prius ex elenchi pręſcripto emendare debueras, quem reprehenderes. Sic vidiſſes ſibi inuicem non repugnare illa duo, (in nullo penè morbo omiſerunt) & (aliquãdo ab hoc auxilio receſſerunt) ſed vt illa vox etiam abſit, ſibi tamen non repugnantur ij duo loci: Nam potuit Hippocrates hoc auxilij genus vſurpaſſe in aliquo morbo, interim tamen non adhibuiſſe eum modum quẽ requirit Botallus in illius copia & frequentia, vel illud auxilium in alio morbo cui conueniebat pretermiſiſſe. Illic ergo vt alibi paſſim non poſſum nõ deteſtari effrenem tuam reprehendendi libidinem, quæ tibi omne iudicium, omnémque æquitatem ex animo expectorat. ſed reliqua examinemus,

minemus. *Quod cùm animaduertiſſes*, inquis, Fol. 18.a
*in eo tamen ſaxo pedem maximè impegiſti* (pugnum in os, fuſtem tibi impingam dicunt Latini) *à quo tibi maximè cauere debueras: ſic enim ſcripſiſti, Corporis verò decoloratio perſiſtens*, &c. Saxum vocas accidentia ea quæ malum venę ſectionis vſum conſequi poſſunt. quaſi præſtitiſſet ea à Botallo ſubticeri: ſed falleris ſimul & fallis. Nam recenſeri debuerunt, vt eorum vera cauſa cognita, remedio nõ tribueretur, quod hominum imperitiæ adſcribendum erat. ὑστερόπρωτον verò, de quo illic neſcio quid ineptè cornicaris, in Botalli oratione nullum eſt. in iudicio tuo tantùm inuenio, quo Botalli ſcripta præpoſterè intelligis & interpretaris: ab illo itaque Botallus meritò appellabit ad candidos & ſynceros lectores, à quibus nõ dubito quin damnetis falſi. Sed iam cum Botallo cominus pugnare incipis, eiúſque diſputationis alterum fundamentum obſeruationes inquam & exempla magna vi conuellere tentas. *Quorum* Fol. 19. a
*veritatem*, ais, *ex alterius fide quam tua, teſtatam habere nõ licet: quando qui tuo iuſſu venam chirurgo ſecandam exhibuerunt, meminiſſe id*

*quidem poſſunt, verum iure ne an iniuria id iuberes dicere nequeunt.* At ſaltem ex fœlici ſucceſſu iure ſectam venam magis quã iniuria, & ipſi & reliqui omnes qui id intelligent, niſi ratione & bona mente careant, iudicabũt. Plæriq; vero omnes quorum hiſtoriam illic recẽſet Botallus, vt videre eſt, veſtrates ſunt, iſthic Lutetiæ, aut in Aula regia vitam degentes, vt tibi facile fuerit ex illis Botalli fidem explorare: At ego ſi quid rectè iudico, eum bonum & ſyncerum virum eſſe exiſtimo: nec veriſimile eſt illum, ſi hiſtorias confingere in animo habebat, non potuiſſe obſcuriora loca, & fabulæ magis accommodata ſibi deligere, vnde nõ ita facile coargui poſſet. In Aula autem, in vrbe totius Regni metropoli, vbi ipſe viuit cum laude & nominis celebritate notatis tam multorũ optimatum nominibus & familiis, qui notiſſimi ſunt, & etiámnum viuunt, vnde reſciri res facile queat, id Botallum feciſſe nemini vnquam perſuadebis, Villice: quin eius fides nobis multò certior ex eo fit, quod quum hîc illius laudi & gloriæ tot inſidias inſtruas, probabile eſt, te hac in parte non minus

minus diligentem fuiſſe exploratorem, vtpote vnde inſectationis tuæ præcipua argumenta ſperare poſſes: nihil tamen te reſcire potuiſſe, quod Botalli fidem non maximè confirmaret. Cur enim reticuiſſes, ſi quid contra accepiſſes? hoc verò ſcribendi genus minime auerſari debes, quo variæ morborum & curationum hiſtoriæ deſcribuntur. Inde enim multa tum ad intelligendum, tum ad medendum vtilia præcepta colligere potes. Eius autor primus fuit Hippocrates in Epidemiis, quem poſtmodum ſequutus eſt Galenus, aliíque ex poſterioribꝰ multi. Ex Neotericis verò Amatus Luſitanus in Centuriis, Franciſcus Valeriola in Obſeruationibus, & nuper Ambroſius Paræus veſtras in Chirurgia. quos quum imitari nequeas, eorũ tamen libros amplecti & euoluere potius quàm deſpicere debes, vt medicinam animo ſaltem & cogitatione exerceas. Hæc de Botalli fide in exemplorũ hiſtoria. Exinde locos eos, quos ille ex Hippocrate attulit, vt doceret nouum nõ eſſe, in quibuſdam morborum generibus ſanguinem mitti, in quibus hodie vulgares medici id ſummopere repu-

diant, ex eo te refellere poſſe putas, quod ex ſecundo Epidemiorum libro petiti ſint: quem, vt ais, Galenus vbicunque eius meminit, ab Hippocrate ſcriptum eſſe negat. At Galenus tantùm dubitat, inquiẽs à quibuſdã haberi pro legitimo, ab aliis autem ab eius filio conſcriptum eſſe exiſtimari. Initio verò Commentarij in 3. Epidem. ſcribit maiorem eius partem Hippocratis eſſe reliquam verò additam eſſe à Theſalo filiorum Hippocratis clariſſimo, quem exactè patris ſententiam ęmulatum eſſe teſtatur. Quare ipſe eius libri autoritate ſæpe nititur cum alibi tum lib. 2. de diebus decretoriis cap. 4. Ergo ſi ex doctrina Hippocratica totus is liber contextus eſt, ſi eius hiſtoriis Galenus vtitur, tanquam Hippocraticis, cur tu illum etiam non admittes? ſed fingito, Villice, Botallum in ſtabiliẽda ſua ſententia, nullum ex Hippocrate præſidium petere, illa tamen nihilominus incolumis, & integra manebit ſtantibus præcipuis eius columnis, ratione inquã & experientia, quas ſi euertere tentas non inani verborum ſtrepitu, non confuſa authoritatum multitudine vnquam id conſequeris,

l. 2. de diebus decr. c. 4. & li. 2. de diff. reſp. ca. 8.

ris:rationibus Villice, rationibus opus eſt, iiſque certis, firmis, propriis, & quibus ſenſus & experientia aptè & conſtanter congruant, atque conueniant. quales ſunt hæ quibus Botallus ipſe ſuã in ſanguine mittendo rationem confirmat: etſi tu paſſim noſtras aures his vocibus obtundis. *nullas Botallus adfert rationes: præter experimenta nil habet.* in quibus ſtupor tuus inſignitet apparet, qui eas legens vel non animaduertiſti, vel nos omnes qui etiam legimus adeò fungos eſſe putas, vt eas nos agnoſcamus, & tibi apertè mentienti credamus. hoc tamen loco veritati tandem aſſentiens tibi ipſi repugnaſti, dum tibi illud excidit. *Exemplorum infinitam illam multitudinem quæ rationes tuas excipit:* quorum verborum veluti oblitus aliquot poſt verſus illũ nullo ordine, *nulla ſubiecta ratione.* ſed quidquid cogitationi occurrit temerè ſcripſiſſe dicis. quos locos nulla arte, ac ne quidem illa tua Narciſſea, ſeu abſurditatum dialectica vnquam conciliaueris. Continuò his verbis egregium Centonẽ addis: huiuſcemodi enim hinc inde conſarcinatis ornamẽtis ſæpe orationem tuam ita diſtinguis,

Fol.19.b.

Fo.20.a.

vt alia atque alia videatur, tanta eſt eius inæqualitas atque diſſimilitudo. Cento ita

Fol.20.a habet: *Cùm cogitare debuiſſes quæ ordine, & ratione vacant, ea mentita, & falſa & plena erroris eſſe, ita vt neceſſe ſit eum qui hanc in medendo viam tenuerit, clauſis (vt aiunt) oculis Andabatarum more ad morbum oppugnandum accedere, argumentis & rationibus oportet, quare quidque ita fieri, aut non fieri oporteat, docere, non euentis.* Primum & vltimum Centonis panniculum Ciceroni ſubripuiſti, illũ quidem ex 2. de natura Deorum, vbi de cœlo diſputat: hunc autem ex 2. de Diuinatione ad verbum, excepta voce *oportet*, quam ille bis eodem verſu non vſurpat. Medium ex Eraſmi Prouerbiis mutuatus es: nam locum in margine intẽpeſtiua diligentia annotaſti, vt manifeſti ſcilicet plagij crimen effugeres. ſed quum eum locũ indicio tuo ductus recognoſcerem, inueni ſcriptum ab
„ Eraſmo, cõuenire Adagium in eos qui te-
„ merè nullóque iudicio inſectantur quip-
„ piam, aut repugnant alicui. Quare Villice hîc illud Terentiani Parmenonis occinere potes: *Egomet meo indicio miſer quaſi ſorex hodie perij.* quis enim nõ videt prouerbium

illud

illud in te apertiſſimè, in Botallum nullo modo conuenire? quod ad Ciceronis verba attinet malè illa ſententiæ tuæ accommodas. Et ſententia tua quoque falſa eſt. Ille enim cœlo omnem ordinem, ratioẽ, veritatem, conſtantiam ineſſe, quæ verò iis vacant, ementita falſa plenáque erroris, ea infra lunam, & circum terras verſari ait: quod quomodo transferas ad Botalli ſcribendi rationem? Deinde falſum eſt, quæ nullo ordine, nulla ſubiecta ratione ſcribũtur, ea falſa eſſe: nam poteſt quis veritatem nudè & ſimpliciter, ſine vlla ratiocinatione deſcribere. Ea quidẽ ab aliquo tunc poterit non haberi pro veritate; ſed tamen veritas eſſe non deſinet: rerum enim eſſentia nulla noſtra oratione aut cogitatione mutari poteſt, vt ait Ariſtoteles. Nec quia ordinẽ Botalli ſcriptis ineſſe negas, is propterea non erit. manent illa omnium oculis ſubiecta téque doctorum iudicio falſitatis reum appellant. Altero loco diſputat Cicero contra Aruſpicinam Extiſpicinam, & alia diuinationum genera: pro quibus priore libro de diuinatione Quintus eius frater pugnauerat, nullis tamen vſus

, rationibus & argumentis, ſed tantùm exẽ-
, plorum copia, quæ aliorum relatione didi-
, ciſſet, eorum verò cauſam latere oſcurita-
, te inuolutam naturæ, nec Deum nos iſta
, ſcire, ſed tãtummedo vti voluiſſe dicebat.
, Reſpondet M. Tullius hoc ego Philoſophi
, non arbitror, teſtibus vti, qui aut caſu veri
, aut malitia falſi, fictíque eſſe poſſunt, ar-
, gumentis & rationibus oportet, quare
, quidque ita ſit, docere, non euentis: iis
præſertim quibus mihi liceat non credere. Hæc recte quidẽ Cicero aduerſus Q. Fratrem ſuperſtitioſæ vaniratis defenſorẽ. ſed ea tu perperam ad naturales effectiones à medicis obſeruatas traducis, & denique in Botalli cauſam detorques. nullis enim hic teſtibus falſis, & fictis, nullis abſurdis euentis nititur. quæ vel nnnquam vel raró & fortuitò tantum acciderunt, qualia ſunt ea quæ ad diuinatricem ſuperſtitionem aſſerendam Quintus Cicero proferebat. Hippocratis ſolummodo exemplis & ſuis experimentis Botallus vtitur iíſque naturalibus frequentérque artificiosè, & diligenter obſeruatis: cauſas vero non latere, ſed manifeſtas eſſe profitetur eáſque è na-

turæ

turæ philoſophia & medicina erutas vbiq;
aſſignat,& exponit. Vtinam verò multi ex
iis quos in re medica aliquid commentari
quotidie cernimus,hanc ſcribendi rationē
qua Botallus vtitur,ſequerētur,& ſuis tan-
tum non alienis opibus medicinæ ſuppel-
lectilem amplificarent, minus certe libro-
rum aut rhapſodiarū potius, plus vero do-
ctrinæ, & ſolidæ eruditionis haberemus.
Multos einm videas, qui vt docti peritiq;
exiſtimentur, cum de ſuo nihil, aut parùm
proferre poſſint, quo illud comprobent,
alienam ſapientiam compilant,& ne agno
ſcatur variè fucant, immutāt, alterant:de-
nique magnificis titulis exornatam euul-
gant & oſtentant.longo tamen vſu variaq;
lectione fraus tandem ab aliquibus depre-
henditur mouétque cornicula riſum fur-
tiuis nudata colotibus, vt inquit Flaccus.
Ab hoc crimine vt longe abeſſet Botallus
hoc ſuo libello de curatione per ſanguinis
miſſionem ea tantum tradit quæ in aliis
autoribus ipſe deſiderat, ſuámque de eo
remedio ſententiam breuiter & ſine vllo
fuco proponit. quæ quia paulò diuerſa eſt
à communi & vulgari,eius cauſas & ratio-
nes

nes adfert; quas multis ſuis obſeruationibus & experimentis confirmat. Omnia vero ea omiſit, quæ in Galeno & aliis, qui de eo argumento tractarunt, cuilibet facile erat reperire. ex illis ea tantummodo decerpſit, quæ ad ſuam ſententiam approbandam neceſſaria videbanrur. non enim in eum finem ſcripſit, vt aliorum ea de re tractationes è ſtudioſorum manibus excuteret, & illis ſuã ingereret: quemadmodum multi in ſimili re ambitioſè facere conſueuerunt. eius tantummodò conſilium fuit rem medicam ex ea parte locupletiorem perfectioremq; reddere, & publicę vtilitati conſulere, atque proſpicere. Hoc Botalli factum, etſi laude digniſſimum, tu tamen moroſus & iniquus alienæ induſtriæ æſtimator illi vitio vertis inquiens. *Verum ſcito in eo prudentiam tuam à nobis deſiderari, quod cum te duce reliquos omnes, qui medendi munere fungerentur, ſanguinem in morbis omnibus confidenter mittere velles, cautiones omnes quas in vſurpandis remediis adhibere decet, prætermiſeris nullo ordine nulla ſubiecta ratione* &c. Sed nos, Villice, hîc imprudentiam tuam atque etiam impudentiam

19.b.ad finem & 20.a.

deteſtamur,qui à Botallo adferri & adſcri-
bi more tuo poſtulas ea omnia quæ alibi
optimè habentur, & cautiones omnes ab
eo prætermiſſas eſſe dicis, quaſi eius liber
in hominum manibus non ſit,nec inde in-
ſignis hæc tua calumnia palàm deprehen-
di poſſit.Cautiones eas illic adhibet Botal-
lus, quæ loco & inſtituto erant neceſſariæ:
reliquas à Galeno, qui eas accuratè & exa
ctè tradidit,peti iubet. Sic enim initio ſui
libelli accuſationem tuam veluti anteue-
niens ſcribit. Non enim plenè & abſolutè
de curatione per ſanguinis miſſionem hîc
agere inſtituimus, cùm multa rectè de his
Galenus egerit. Sed tantùm de iis dicere
cogitamus,in quibus nō prorſus cum Hip-
pocrate,& Galeno conuenimus, quibus ta
men in iuniorum gratiam nonnulla etiam
connectemus ab iiſdem autoribus rectè
quidem propoſita & inſtituta, ſed poſtea à
multis imprudenter neglecta & improba-
ta, quæ tamen nos cum maxima cautione
& proſpero euentu crebris experimentis
comprobauimus.Hæc Botallus.At tu quæ
ille volens omiſit,curiosè collegiſti, & ex-
ſcripſiſti ac paſſim etiam deprauaſti,indeq;

admonit

admonitionis vel criminationis potius tuę inanitates ſterili & infrugifero labore repleuiſti: quin vt vniuerſæ tuæ ſapientiæ nobis ſpecimen aliquod exhiberes, addis veluti epitomen quandam artis curãdorum morborum, diſputas de cauſis, ſymptomatis, ſignis. Poteras eodem tenore, eademq́; ratione, partium corporis, humorum, temperamentorum, elementorum ac denique totius Phyſiologię deſcriptionem apponere. Et fortè feciſti: ſed non vacauit ſingulas tam perfecti & abſoluti operis tui partes perſcrutari. Præterea vbi ad eum vſque locum perueni, quo de his diſſerere incipis, cœpit me tædere vanitatis tuæ, & operæ meæ, quam in ea examinanda non neceſſariò inſumerem. Omnia itaque illa tua ἀπροσδιόνυσα, omnes tuas ῥαψῳδίας, in quibꝰ importuna arrogãtia Botallum docere inſtituis, negligendo tranſilij: in iis tantùm ſubſtiti, quæ ex penu tuo deprompta eſſe videbãtur, nempe in accuſationibus & calumniis tuis: & ſi ſunt qui earum partem tibi quoque aliunde ſubminiſtratam eſſe affirment. Sed vndecunque prodeant, ab earum veneno Botalli libellum vindicare,

& lib

& liberare, téque peccatorum tuorum admonere pergam. Poſthac tamen grauiora tantùm attingam, vt ex illis bono & erudito lectori ſit de reliquis iudicium longum vero ſit, & penè infinitũ, ſi ſiugula in quibus reprehendi & coargui potes perſequi velim. Quę præceſſit infectatio tua, fuit veluti leue quodam certamẽ quo Botallum laceſſeres magis quàm oppugnares. Nunc demum omnes copias tuas in aciem educis totíſq; illum viribus aggrederis & cõficere tentas. Sed nõ minore hîc infœlicitate pugnas, quam in ſuperiori velitatione. Primus impetus tuus eſt inſignis calumnia, cui tanquam fundamento reliquæ ferè omnes tuæ animaduerſiones, quæ ſequuntur innixæ ſunt, adeò vt ſi illius fraus & vanitas, à nobis conuincatur & deſtruatur, cætera quoque omnia cum illa deſtrui & concidere ſit neceſſe. Id verò apertè & commodè fiet, ſi primũ animo repetamus ex iis quæ initio diximus Botalli libellici inſtitutũ, & methodũ, deinde quam aptè & rectè ea tu hoc loco impugnes examinemus. Tu enim res tuas adeò confundis, vt conuitia quidem & calumnias apertè

enuncies & explices, earum verò rationes & cauſas nullo ordine nulla perſpicua diſpoſitione proponas, ita vt tenebris veluti offuſis lectorum oculis fraus & imperitia tua facilè perſpici nequeāt. Itaq; poſt importunā illam tuam indicationū, & cautionum medicarū recenſionem, tandem pag.29. illum turpiſſimè peccaſſe ſcribis in

Fol.29.b Dialecticæ præcepta, *ita vt ab eo*, inquis, *qui Philoſopho tridui tantùm operam dederit grauius peccari non poßit. Num enim didiciſti enūtiationes infinitas, hoc eſt eas quibus nulla nota præponitur, quæ vniuerſe, aut in parte aliquid de aliquo dici ſignificet, ſi in materia neceſſaria verſentur pro vniuerſis haberi: ſi in contingenti, pro ſingularibus. Atque in conuulſione, paralyſi, morbo comitiali hydrope, & reliquis in quibus ſanguinem mitti perpetuum non eſt, ſed vt mittatur, aut non mittatur interdum contingit, ſanguinem tutò mitti contendis, nec tamen ſpeciem definis, quæ iſtud remedij genus efflagitet, nec morbi tempus in quo tutò vſurpari poßit, nullam denique rerum earum partem quibus mentem adhibere oportet attingis.* His verbis non ſolùm Botallum peccati in Dialecticę præcepta conuiciſſe, ſed etiam omnia eius

diſput

diſputationis fundamenta te euertiſſe putas, ſed longè falleris. Nam contra tu ipſe grauiter peccaſti: Primum in eo quòd infinitas appellas huiuſcemodi propoſitiones, quę ab Ariſtotele & reliquis omnibus philoſophis indefinitæ nominantur. Apud quos nulla quod ſciam infinitarum enuntiationum vſpiam fit mentio, niſi forte infinitas vocet quis eas enuntiationes quæ ex nominibus infinitis componuntur. Ariſtoteles enim libello περὶ ἑρμηνείας cap. de Nomine vocat nomina infinita, quibus negatio præponitur, vt non homo, non animal, quę in quauis re ducuntur, tam ea quæ eſt, quàm quæ nulla eſt. Næ ſi hæc, Villice, dixiſſes in puerorum dialecticorum ſchola, multa ſibillatione deriſus & exploſus eſſes. Turpe autem tibi eſt, dum alteri aliquod crimen obiicis, in id te grauiter impingere, atque peccare. Sed accuſationis tuæ vim conſideremus. Tibi concedimus propoſitiones indefinitas in materia contingenti pro particularibus haberi. Perſequere ratiocinationem tuam. At Botalli propoſitiones in quibus ait ſanguinem tuto & vtiliter miſſum eſſe, & mitti poſſe in

conuulſione paralyſi, &c. Sunt indefinitæ, id quoque admittimus, & veriſſimum fatemur. Ergo pro particularibus habendæ ſunt. & id rectè. At quid in Botalli libello legiſti, quod huic concluſioni repugnet? hoc erat operæpretium oſtendere atq; docere, non petulanter in illũ vociferari, turpiſſimè, grauiſſimè illum in dialecticam erraſſe: nullum hîc erratũ eſt, præter tuum qui paſſim eius rectas ſententias, vt calumniandi anſam & materiam tibi præbeas, malitioſè corrumpis, atque peruertis. Calumnia enim grauiſſima eſt, quòd illum velle dicis in omni conuulſione, paralyſi & aliis mittendum eſſe ſanguinem. Eam ipſe veluti præuidens ſui libelli pag. 154. & 155. optimè confutat illis verbis: Sed video quam latè campus pateat liuẽti & moroſo Cenſori, vnde in nos, iniquis, his redargutionibus inſiliat. ſi per te ſanguinis miſſio in nullo, &c. quem locum candidus lector ſi conſulat, & tuam calumniam, & Botalli ſententiam apertiſſimè intelliget. Illas verò particulares propoſitiones in medium proponit, tanquam ἐνστάσεις (inſtantias vocauerunt noſtri in ſcholis) quibus euertit

vulgar

vulgarium medicorũ vniuerſalia illa Theo
remata, in hoc vel illo morbi genere, in
huiuſmodi tempore, ætate, habitudine hac
quantitate & frequentia mitti ſanguis nũ-
quam vtiliter poteſt. At, inquit ipſe, in eo
Hippocrates miſit, in eo quoque ego ſæpe
& vtiliter miſi. ergo mitti poteſt. quid hîc
quoque nõ Dialecticè dictum eſt? Quum
igitur ita ſe res habeat, fruſtra erũt reliquæ
omnes tuæ reprehenſiones, in quibus pro
rato & fundamento ponis, eas Botalli pro-
poſitiones vninerſales eſſe, cum particula-
res tantùm ſint, & particulares ab eo pro-
ponantur. earum tamen aliquot examina-
bimus, vt quid præterea infarcias, & addas
videamus, & pari fœlicitate refellamus.
Prima ἔνςασις eſt de flatuoſa ventoſitate. In
ea multipliciter Botallum reprehendis: Pri
mò, quòd ventoſam flatuoſitatem dixerit,
cum in Hippocrate Latino ſcriptum ſit, fla
tuoſam ventoſitatem, grauè ſcilicet pecca
tum, & planè dignum Villici ventoſiſſimi
hominis grauiſſima cẽſura. Nec melior eſt
ſubſequens reprehenſio. Nam quaſi Botal-
lus in omnibus flatibus ſanguinem mitti
velit, exclamas: *Quid ſi in ventre & inteſti-* Fol. 30. b

*nis continentur, num venæ ſectione tolli nobis perſuadebis?* quæ calumnia vana quoque eſt,&,vt ita dicam, ventoſa,vtpote quæ ex his quæ mox admonebam in leues ventos euanuerit. Præterea ille cautionem, & diſtinctionem adhibet, vt intelligeres ſcilicet in quibus flatibus id remedium vtile
, eſſe poſſet. inquit enim flatus non raró gi-
, gni à vehementi calore, túncque venæ ſe-
, ctioni locum eſſe. Tu vtrunque concedis. ſed difficillimam & planè te dignam adfers dubitationem:ſcribis enim; *Volo etiam* (nempe & gigni flatus poſſe à vehementi calore, & tum prodeſſe ſanguinis miſſionem) *ſed an vbi excitati fuerint, diuturni eſſe poßint, niſi materiæ perennis affluxus, aut contumacia id efficiat,magnopere dubito.* Iam mirari deſino in obſcuris difficilibúſque rebus imperitiam tuam,qui in re tam perſpicua etiam magnopere anxius ſis. Quis vel leuiter tantum rerum naturalium ſcientia tinctus vnquam dubitet, an vehemens calor facile flatus diſſipet,& nouos continuò gignat,ſi materia contumax ſit,& cōtinuò affluat? Præſente enim eadem cauſa efficiente, & eadem materia eundem quoque

Ibidem.

que effectum procreari eſt neceſſe, vt Phyſici docent. Etſi verò non iidem numero (vt Dialectici loquuntur) flatus maneāt, ſed perēni generatione alij aliis veluti ſuccenturiati ſuccedant, nihilominus tamen idem affectus erit, & diu idem perdurabit: ergo illi venæ ſectio conueniet: Nam hoc vnum tibi de ea dubitationem pariebat, quòd magnopere te vereri diceres, num diuturni ij flatus eſſe poſſent. At eſſe poſſunt, vt diximus. Hîc nō hæres, ſed vlterius reprehenſionis tuæ machinas promoues: nam vocato etiam in certamen interprete Cornario, vocē ἀνημιὴν malè illum vertiſſe dicis flatuoſam ventoſitatem. quam variè verò te torques, vt Græcanicæ tuæ ſubtilitatis aliquod ſpecimen hîc nobis exhibeas. ſed fruſtra: nam vbique tātùm Villicus es, id eſt rudis & ineptus. Negas ἀνημιὴν eſſe ventoſitatem flatuoſam etiamſi vocabuli ratio id propriè ſignificet: & tamen eam vocem idem ſignificare apud Hippocratem fateris quod ἐμπνευμάτωσις ſeu inflatio quæ à flatuoſo ſpiritu ſub cute vel mēbranis oberrante fit. At hoc Villice quid aliud eſt quam flatuoſa ventoſitas? *Sed*, in- Fol.31.b

quis, *cogitare decuit Hippocratem eo loco impro-prie dictionem illam ad venarum & arteriarum quæ in capite ſunt oppletionem quæ efferueſcente ſanguine inducitur,*&c.*traductam eſſe*,(traduxiſſe dicendum fuit, vt cum ſuperioribus rectè cohæreat) *in qua miſsionem ſanguinis vtiliter vſurpari nemo vnquam negauit.*
Vide quò te cæca contradicendi libido adigat, vt Cornario commodius maledicas etiam Hippocratem ipſum notas,&ſugillas,quòd impropriè ἀνημίης voce vtatur. Ergo iudicio tuo Hippocrates eius vocis abuſu anſam Cornario errandi dedit: ſed vterque culpa caret; & tu ſolus errore teneris,in illóſque immeritò es contumelioſus. Vis igitur ab efferueſcente ſanguine ſpiritus & vapores ſurſum ad caput ferri (id enim tu quoq; paulò inferius affirmas) qui venas & arterias oppleant,huiuſmodíque oppletionem ἀνημίην eſſe dicis, cuius hîc meminit Hippocrates. Sed hîc tu vana quadam non vulgaris ſapientiæ opinione atque perſuaſione deceptus,in interpretatione huius loci te reliquis omnibus oculatiorem eſſe ſomnias, & neſcio quid noui & exacti inueniſſe,tibi videris, quod tamẽ
ſi veluti

ſi veluti ad te rediens penitius inſpicias atque conſideres, voce quidem diuerſum, re ipſa autem idem eſſe comperies, cum eo quod prius reprehēdebas, & veluti abſurdum eſſe reiiciēdum putabas. Nam huiuſmodi oppletio à vapore, & ſpiritu, quam facis eſſe ἀνεμίην Hippocratis; quid aliud eſt quàm Cornarij flatuoſa ventoſitas? Tandem verò quaſi id animaduerteris aliam magè diuerſam eius vocis expoſitionem confingis ſic ſcribens: *Hoc igitur habeto ἀνεμίης nomine indicari dolorem capitis, qui venis & arterijs ſpiritu, & vapore plurimo diſtētis inuadit, quem (ſi verbum verbo reddere vis) ſubuentaneum rectè nominabis, ducta appellatione à turbulento motu aëris circa terram vltrò citróque commeantis, quem ſiue ἄνεμον ſiue πνεῦμα* nomines nihil errabis. Adeò hæc oratio tua turbulenta eſt, vt dubium ſit, ad quidnam illud ſubuentaneum referas, ad dolorémne, an ad vaporem. neutri tamen conuenire poteſt: ſolam ego interpretationem hanc tuam ſubuentaneam rectè nominari poſſe putem, vt ὑπηνέμιον λόγον Plutarchus dixit ſermonem inanem & inutilem tranſlatione ducta ab ouis irritis quæ ὑπηνέμια à

Fol. 32. b.

Græcis appellatur. quam vocem ſolam, ſi verbum verbo reddas, ſubuentanea interpretari poſſis. ἀνεμίη autem ad verbum eſt ventoſitas, vt rectè ad verbũ alludens Cornarius vertit, non ſubuentanea. Hæc verò interpretatio tua ſimilitudine quadam in mentem mihi reuocauit vnam è Paracelſicis ineptiis, quæ eſt in eius libello de Peſte, vbi huius generis affectum, pleureſim capitis non minus ridiculo quàm nouo nomine appellauit. Non aliter tu hac doloris ſeu vaporis ſubuentanei noua appellatione hîc nobis illudis. Sentẽtiam verò tuam ex eo tantùm confirmas, quòd eo cõtextu Hippocrates varios capitis affectus eorúmque remedia recenſeat. ſed ita ſit. illa ἀνεμίη in capitis arteriis & venis cõſiſtat, illicque dolorem pariat. Cur tamẽ tu a ſymptomate quod inducit hunc affectum potius denominandum eſſe contendis quàm à cauſa vt Cornarius, cum nominis etymologia huic ſoli & maximè congruat? De ſanguinis miſſione nihil repugnas, adhibita præſertim cauſæ diſtinctione à Botallo propoſita. tantùm negas eius beneficio fluxionis impetum reuocari in contrariam partem,

vt Bot

vt Botallus ſtatuit. At ſi è venis ad caput ea fluxio fit, cur ſectione venæ inferiorũ partium reuulſionem fieri negabis? vides itaque, Villice, quàm in huius ἐνςάσεως impugnatione te infœliciter geſſeris, & quam fruſtra hîc ab eo peccatum eſſe dicas in Gręca lingua. Nullum enim illic eius peccatum eſſe docui. Tuum verò hoc loco vnum eſt admodum turpe in Latina, in illis verbis: *Poterat dari venia peccato, quẽ Græcæ linguæ*, &c. Quod in ſeptennibus Pueris ludimagiſtri virgis caſtigare ſolẽt. Fit enim veluti fato quodam, vt nunquam magis ineptias, aut grauius offendas quàm cum in Botallum improbius aliquod crimẽ intendis, adeò vt quod aliis obiicis, in te ipſum illicò recidat. vt etiam videre eſt in his quæ mox ſubdis, in quibus illum malæ fidei accuſas, cuius culpæ ipſe expers eſt, tu verò eius nomine maximè accuſandus venis. Falsò enim ſcribis illum ex eo Hippocratis loco, quem adducit, genetatim enuntiare in totius corporis conuulſione mittẽdum eſſe ſanguinem, cum nulla illic totius corporis mentio ab eo fiat, nec vlla generis nota conuulſionis voci adiunga-

Fol. 33 a verſ. 7.

tur, ſed indefinitè tantùm ea vox pronuntietur. Memoria autem tua excidit quod paulò ante de indefinitis propoſitionibus ſcripſeras. Quare ad eum locum tanquam tuum commentarium te remitto. In voce σχάσαι, quam ex Galeno ſcarificare interpretaris, vt tibi minime repugnem, non tamen efficies in digitorum cõuulſione ſanguinem mitti nunquam poſſe è cubito: Nam certum eſt eam plærunque à multitudine, aut vitio humorum fieri: vtrique autem cauſæ ſanguinis miſſio conuenit. Præterea nihil de Botalli ſententia detrahes, quæ docet in conuulſione aliquando mitti ſanguinem poſſe, niſi ab inanitione illa contingat. Nam & tu illi aſſentiris, pręſertim in ea quæ à ſanguinis abundantia fit; modò, inquis, cruditatis nimiæ excuſatio nulla ſit: qua in re te monitum volo eius quod ſcribit Cornelius Celſus lib. 2.
, cap. 10. in hunc modum: Cùm ſit autem
, minime crudo ſanguis mittendus, nec
, id quidem perpetuum eſt, neque ſemper
, concoctionem res expectat. quid enim? in conuulſionibus vulnerũ vel contuſionum ſi cruditatis adſit ſuſpicio, tu ne coctionem

expect

expectandam eſſe iudicabis? Idem autor eodem loco omni conuulſioni ſanguinis miſſionem præſcribere videtur his verbis. Sanguinis detractionem requirit ner- « uorum reſolutio, rigor & diſtentio, quid- « quid denique fauces difficultate ſpiritus « ſtrangulat &c. Botallus vero in definita tãtum oratione in cõuulſione ſecari venam poſſe ſcribit, addita etiã diſtinctione eius, quæ ab exhauſto fit, in qua nullũ euacuationis genus conuenit. Tu tamen nouus Ariſtarchus hîc eum reprehendis & etiam contumelia inceſſis. In epilepſiæ acceſſione mitti ſanguinem non abſurdum eſſe docet Hippocratis autoritate. cuius ſententiam etſi Cælius Aurelianus & nõnulli alij improbent, non diſplicere tamen ſcribit Archigeni, Galeno, Celſo. Hoc monuiſſe ſatis Botallo fuit. Tu tamen omnes medicorum libros euoluis variaſq; eorum ſententias inutiliter conuertis. libet ita tibi otio tuo abuti, tuáſque rhapſodias ambitioſè oſtentare: ſed non licet aliorum induſtriæ perperam maledicere. Non erat autem Botalli inſtituti hęc longius perſequi. Denique falsò quoque hîc ex inexhauſto

calum

calumniarum tuarum gurgite dicis Botallum voluiſſe in qualibet epilepſia, & ſemper ex brachio mittẽdum eſſe ſanguinem. quanquam non opus erat hoc monere, cũ ſupra vbi de his rebus tibi in vniuerſum reſponderem, hanc quoque calumniam abundè confutarim atque exploſerim. Idẽ quoque de ventris doloribus tibi reſponderi volo. Non enim in omni huiuſmodi affectu id remedium inſtituit, eos tantum reprehendit, qui ex Hippocratis autoritate dolores qui infra ſeptum tranſuerſum ſunt, purgatione tantùm curãdos eſſe contendunt. oſtendit enim Hippocratem ſanguinem quoque in huiuſmodi doloribus miſiſſe. Nec purgationẽ, quemadmodum tu impudẽter deblateras, reiicit. Eius fidẽ etiam accuſas quoniam dixerit eum, qui apud Hippocratem 5. Epidem. in œniadis ventris doloribus laborabat, ad tabem & necem penè deductum eſſe per purgantia medicamenta, tandem verò venæ ſectione liberatum fuiſſe. ais enim id Hippocratem non dicere: At id ex eius oratione facilè eſt homini ſanæ mẽtis colligere. Scribit enim eum omnis generis pharmacis ſurſum atque

que deorſum ducentibus vſum eſſe, nullámque ab iis opem ſenſiſſe. Tabeſcebat ' autem corpus,inquit,ac conſumebatur, & ' alimentum ipſi non cõtingebat à ciborum ' eſu, & per aluum ſecedebat cibus prauus ' & combuſtus. Tu verborum Hippocratis ' partem tantùm profers,reliquam,vnde Botalli fides perſpicuè integra apparet, ſubtices dolo tibi paſſim familiari, vt doctiſſimi & optimi viri nomen virulentiſſima tui liuoris ſanie inficias atque deturpes. Vi morbi, dices,non medicamentorum vſu ad tabem & atrophiam is ægrotans deueniebat. At in ea vi morbi quid putas feciſſe medicamẽta tam quæ deorſum, quàm quæ ſurſum purgabãt, & quæ omnis generis vſurpata fuiſſe Hippocrates teſtatur? Cũ enim minimè ei curando accommodata eſſent (nam nullam inde opem illum ſenſiſſe ſcribit) númne putas valde inde vexatis viſceribus & ſubtractis ſæpe alimentoſis ſuccis magnam ad tabem & atrophiam acceſſionem frequenti & importuno illorum vſu factam fuiſſe? mirum verò etiam ſit, ſi tam malè affectum corpus in magno vitæ diſcrimine non fuerit cõſtitutum. Ex his Botalli

talli fides à criminationibus tuis liberatur, ſanguiníſque miſſionis vtilitas & præſtantia celebratur, cuius ſolius beneficio tãtus morbus ſublatus fuerit. quare & illa quoque hîc cõtra ignauas tuas obtrectationes glorioſa triumphabit. Reliquum tamẽ eſt, vt quam maculam hîc Botallo & Cornario ex voce ἔξαιμος aſpergis pariter eluamus. vtrunque reprehendis, illum quidem quod ad animi vſque deliquium ſanguinem miſſum eſſe dixerit: hunc verò quod verterit, donec exanguis redderetur. Nam tu ex Ariſtarchica tua ſapiẽtia decolorem tantùm ea voce ſignificari cõtendis; exangue verò appellas id genus animãtis quod omino ſanguine caret. Sed iſthæc tua logodædalia, Villice, admodum vieta eſt & rancida: nam exanguis paſſim à Cicerone, aliíſque probatis authoribus is etiam dicitur, qui ſanguine intrò reuocato à metu vel alia de cauſa expalluit. Mortuus & exanguis concidiſti, inquit Cicero in Piſonem. Inde etiam Horatius. quod ſi pallerem caſu, bibèrent exangue cuminũ. Quare quem Hippocrates ἔξαιμον vocauit in ſermone præſertim de ſanguinis miſſione nõ minus

minus propriè quam eleganter quis dixerit exãguem. Nec quiſquam adeò ineptus eſt, vt omnem tunc à medico ſanguinem extractum eſſe intelligat eo maxime Hippocratis loco quo eiuſmodi euacuatione ſanitatem homini reſtitutam eſſe ille teſtatur. Vix vero fit vt, qui in ea euacuatione adeo inſigniter palleſcunt, animo tunc linqui non incipiant:quemadmodum omnibus notũ eſſe poteſt.Senſum itaque magis quã verba Hippocratis ſpectans Botallus nõ male dixit ad animi vſq; deliquium miſſum eſſe ſanguinem id eſt ad eum vſq; terminum vt æger iam animo defici inciperet, excluſiuè barbari dicunt. eius quoque fidem deſideras in ſequenti Hippocratis ſentẽtia de venæ ſectione in tuſſi ſicca ex teſtium affectu orta: ſed immerito: nam λύεται φλεβοτομηθέντα legitur in Hippocratis græco exemplari.Cur vero eos malæ fidei accuſabis qui quod græcè ſcriptum eſt,fideliter latine enuntiarunt? Sed tu leuibus quibuſdã coniecturis ductus legendũ eſſe iudicas λύεται φλεγμαίνοντα vt ita ſit, librariorum ea erit culpa nõ Cornarij aut Botalli: quare iniquè ſimulátque ineptè

hîc

Fol.38.b. hîc in ea verba prorumpis. *Cogor iterum atque ſæpius repetere ex linguæ græcæ ignoratione tibi tot errores committendi occaſionem fuiſſe:* hoc tamen rectè, *quod calumniandi ne ſtudio faciam necne, facile omnes intelligent.* nam facillimè atque optimè intelligimus atque perſpicimus non ſolum te nullam vel minimam calumniandi occaſionem prætermittere, ſed & aliquam ſæpius ambitioſe confingere, tum vt maledicas, tum vt te plus aliquid ſapere quàm ſapias, nobis oſtẽdas. At coniecturæ tuæ argumẽta iam perpendamus. Primum eſt quod abſurdũ eſſe iudicas venas ad teſtes ſecare. Cui tuæ ſententiæ nulla ratione aut veterũ autoritate fidẽ facis: tua tantũ niteris aſſeueratione, cui ego minime ſtandũ eſſe exiſtimo, tum quia aduerſarius es, tũ quia paſſim de rebus imperitiſſime iudicare ſoles. In teſtiũ inflãmatione credo mihi cõcedes venã ſecari poſſe, primũ ex cubito, deinde etiam ex crure vel pede ſi morbus perſeueret. Poſthæc ſi malum pertinacius hæreat, & grauioris incommodi metus ſit, venæ autem vel partis ipſius, vel proximæ, vt penis ſanguine admodum turgeant, nihil præter

rationem

rationem facturum eum putẽ, qui ad eam partem exonerandam venam, quæ conſpicua ſit, (vt illic ſunt aliquot) tundat & ſanguinem ex ea fluere, dum ſatis ſit, permittat. Nam ſi ſanguinem ex his locis per ſcarificationem ſæpe vtiliſſimè elicimus, cur venæ alicuius manifeſtè turgentis ſectione idem præſtare non liceat? nullam enim toto corpore venam eſſe puto, ex qua, ſi conſpicua ſit, aliquando ſanguis vtiliter mitti non poſſit. Altera ratio tua deſumitur à duobus aliis Hippocratis locis, quibus ille ſiccam tuſſim affectu in teſtibus orto ſedari docet, nullam tamen venæ ſectionis mentionẽ facit. Sed hi ad rem tuam nihil adferunt adiumenti: nam quid impedit, quominus de eodem affectu variis locis Hippocrates varia ſcribat, modò non contraria, & repugnantia? nihil verò repugnat ſi orto in teſtibus affectu tuſſis ſicca ſolui poteſt, ex iiſdem teſtibus affectis miſſo ſanguine certiorem & perfectiorẽ eius tuſſis ſolutionem fieri poſſe, adiuto ſcilicet naturæ motu ad loca conuenientia quemadmodum monet Hippocrat. ſect. 2. lib. 6. Epid. vbi ait eos abſceſſus excipere opus

› eſſe, qui prodeunt iam & qualia oportet:
› qui verò non valde eos coadiuuare. & paulò poſt. Reuellere oportet, ſi qua non oportet, repant; ſi verò qua oportet, his oſcula aperire oportet. quemadmodum ſingula repunt. Dices ex Galeni Commẽtario aperire hîc non poni pro eo, quod eſt ſcalpro diuidere, ſed pertinere quoque ad eam vaſorum & ductuum recluſionem, quæ medicamentis fit. ita eſt: ſed nec propterea excluditur illic à Galeno ea apertio quæ ad naturæ imitationẽ ferro fit in abſceſſibus, vt videre eſt eo loco. quin eo vocabulo ita vtitur Hippocrat. 6. Epidem. ſect. 2. inquiẽs: quæ maturare conuenit ea intus claudere oportet contraria verò exſiccare & aperire. & Galenus in Commentario his verbis.
› quæ partes affectæ calorem natiuum ita paucum & imbecillum habent, vt neque coctionem humorum qui ad eas decubuerunt, aggrediantur in iis profundis ſcarificationibus cutem aperimus, ſæpiúſque & ad profundum vſque interſecamus in multis affectæ partis locis. quare ſi (vt ait Hippocrat. ſtatim poſt locum quem ex ſect. 1. 2. Epidem. aſſignaſti.) boni ſunt ij abſceſſus, qui

qui infra morbum fiunt, & longiſſimè infra ventrem, & remotiſſimi à morbo, & qui per effluxionem fiunt, cum huic effluxioni nulla per naturã via patet, quid noceas ſi illi exitum arte præbeas, ſíque partem, in quam natura humorem depoſuit eius moleſta copia & qualitate liberes? Perſpicuũ itaque fit non eſſe abſurdum (quod tamen tu aſſerebas) venam ad teſtes ſecare, cum depoſito in eam partẽ humore, qui ſiccam tuſſim gignebat tumor, & inflammatio in illa eſt, metúſque eſt maioris mali, niſi humor is ſtatim euacuetur. proptereáque nec Cornariũ nec Botallum in errore eſſe, qui huic ſententię aſſentiũtur. Sed prius quàm hîc te dimitto, conſideranda nobis eſt gręcitas tua ſeu cęcitas potius in verſione eius Hippocratis loci quem ex ſect. 1. lib. 2. Epidem. adduxiſti, quẽ tu ita vertis, *neque enim* Fol.39.a.
*repugnat & diuturnas tuſſes teſte tumẽte quieſcere, & teſtem tumentem oborta tuſsi. hæc autem commonefaciunt nos communionis quæ inter pectus, mammas, partes generis propagationi deſtinatas & vocem intercedit.* Græcè ſic habet: οὐδὲ γὰρ ἐναντίον οὐδὲ βῆχες χρόνιαι ὅτι ὄρχιος οἰδήσαντος παύονται, ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων. ὑπόμνημα κοι-

„ τωνίης ςηθέων μαζῶν γονῆς, φωνῆς. Cornarius verò hanc ſententiam meo iudicio fidelius interpretatus eſt hoc modo. Neque enim cõtrarium. (quæ verba ad præcedentem ſermonem pertinent, nec cum iis quæ ſequũtur iungenda ſunt.) neque tuſſes diuturnę,
„ quoniam teſtis vbi intumuit ceſſant, & te-
„ ſtis tumor à tuſſi ceſſat & alleuatur. quę res
„ commonefacit, &c. Non enim dicit Hippocrates teſtem tumẽtem quieſcere oborta tuſſi, quemadmodum tuſsis quieſcit illo tumente, vt tu putas: ſed contrà. non ceſſare & alleuari teſtis tumorem oborta tuſsi, quemadmodum quieſcit tuſsis illo tumeſcẽte. vt quilibet videre poteſt ſi rectè Hippocratis verba examinet. Ac ſi à locorũ ſimilitudine, in quibus Hippocrates de eadem re agit, (quod tu hîc facis contra Cornarium & Botallum) coniecturam capere licet, meæ ſentẽtiæ veritas manifeſtò apparebit: nam duobus aliis locis eo inquam de quo paulò ante diſputabam ex 4. Epidem. ad finem. & eo quem tu attuliſti ex ſect. 5. lib. 2. eiuſdem operis. Præterea in Galeni Comment. 2. lib. 6. 14. & Cõment. 3. eiuſdem lib. 41. teſtium quidem tumoris à tuſsi ſub-

orti

orti mentio fit, nullibi tamen ſcriptum inuenias tuſsi exorta teſtium affectum quieſcere. ait tantùm ad finem 4. Epidem. inflammatos tuſsire, & in febribus ex inguinum tumoribus tuſsim excitari; ſed tamen priores morbos quieſcere, neutiquam affirmat. Communione enim locorum tuſsis in huiuſmodi affectibus ſuboritur, teſtium verò affectus ab illa ſuperueniēte ſolui nec frequens, nec facilè eſt, quemadmodum tuſſem à teſtiũ affectu, propter pulmonum ſitũ in ſuperioribus partibus. Ab his, quoniam dum Botallus venam ſecari poſſe in hydrope aſſerit, inter cætera meminit eius loci Hippocratis 2. Epidem. vbi in eo morbo venas internas ſecari iubet, dum morbus magnus in intentione eſt, Dij boni, quas turbas moues? tanto vero furore in illum excandeſcis, vt etiam à turpi conuitio non abſtineas. In hoc impetu te ad eius loci interpretationem accingis: ſed talem te præſtas, vt veriſsimum illud eſſe cognoſcamus, cõſultor ira peſsimus: nam nihil præter meras nugas abſurdáque euanidi cerebri figmenta adfers. ea enim verba [venas internas ſecato] nunc alio transferēda eſſe

dicis,nec tamen locum deſignas: nunc referẽda putas ad ſuperiora illa de tuſsis ſiccæ ſolutione per vehemẽtem coxarum aut crurum,aut teſtium dolorẽ: nunc ad epilepſiam, quam vis intelligi magni morbi nomine quod proximè ſequitur. Sed cum Hippocrates dicat venas internas ſecãdas cũ morbus magnus in intenſione eſt, ſi de epilepſia id intelligi vis,cur ſupra Botallo ſuccenſebas quod in epilepſiæ paroxiſmo mitti poſſe ſanguinẽ dixerat? Vbiq; tamen ita tibi parũ ſatisfacis, & ita titubas, vt vbi certò pedẽ figas non habeas:ſed vena omnia. Vanitatem iudicat vna ſyllaba δὲ. Vbi enim dixit Hippocra. Hydropicũ cui tuſſis ſuperuenit,ſi animo linquatur calidis omnibus vti debere ſin minus vini meraci potione & cibis implendum eſſe, ſtatim ſubdit τάμνειν δὲ τὰς εἴσω id eſt ſecare vero internas venas oportet:quæ verba nemo vnquam ſanæ mentis aliò referri poſſe putabit, quàm ad ea quæ proximè præceſſerũt. Sed hîc neſcio quas nobis exequias cõminiſceris ex Aphor.35.libr.6. vbi Hippocrates ait ſi hydropico tuſſis ſuperueniat malum.quaſi velit ille tũc conclamatum eſſe ægrotum propterеáque eſſe abſurdum *illi*

venā ſecare,inquis enim, *Quam ex miſsione* Fol. 41 a.
*ſanguinis vtilitatem ſperare potes quum ad hydropici exequias iam iam amici conueniunt?* bona verba quæſo mi Villice.Non dixit illic Hippocrates tuſſim hydropico ſuperuenire maxime læthale eſſe, ſed malum tantum. cuilibet verò vel mediocriter in eius lectione exercitato notum eſt quomodo malū, & lęthale inter ſe diſtinguantur. Nec Galenus in comment. cuius tu verba adduxiſti,mortis adeo certam ac tu expectationem inde pronuntiat. Sed tantum ſuffocationis periculum minitatur. quanquam ſi verum ſit, quod ille eodem loco ſcribit, nēpe ſignificari huiuſcemodi tuſſe adauctam adeo eſſe aquoſam humiditatem, vt iam ipſas occupet aſperas arterias,non eſt dubium, nō ſolum ſuffocationis periculum imminere vt Galenus dicit, ſed certam etiā inſtare mortē. proptereáq; Galenus eo loco quibuſdam viris doctis non placet, qui fieri non poſſe putant, vt hydropicorum aqua eò vſque penetret vt aſperas arterias occupet homine viuente, vel ſi viuit, quin ſtatim ſuffocetur. Præterea númne fuerit hoc ipſum Hippocra-

tem taxare, qui ſimpliciter malum appellarit, quod eſt peſſimum & ſummè exitiale? Sed ita ſit, ab ea cauſa in hydropico ſuperueniat tuſſis; id tamen non eſt perpetuum. Poteſt enim, vt eodem comm. teſtatur Galenus ab alia cauſa quam ab humoris aquoſi copia in aſperas arterias exundante tuſſis hydropicum corripere, tuncq; vt idem fatetur, non eſt ſignum læthale. Quid itaq; cogit te vt eo loco, de quo hîc quæſtio inſtituta eſt, tuſſim eiuſmodi eſſe dicas, qualem in illius Aphoriſmi Comm. pingit Galenus. Cum præſertim tam multa abſurda inde ſequãtur, ſi ita ſtatuas? non enim minus abſurdũ erit in illis anguſtiis vino meraco, & cibis corpus tunc implere, quam venam ſecare, vt taceam ineptias illas coniecturarum tuarum in quas incidis, dum hunc locum tuo modo vis intelligi: Quare tu ipſe Hippocratem tanquam delirantem anum de morbis diſſerentem feceris, non Botallus: vt facilè eſt videre. ſi itaq; ſic ſtatuamus, ab aliáque cauſa tuſſim hydropicum corripuiſſe dixerimus, quid impedit quominus is morbus eiuſmodi eſſe poſſit, vt in eo nõ liceat ſolum, ſed etiam
oporteat

oporteat ſanguinem mittere? hac ratione vno & eodē tenore & Hippocr. ab abſurditate, & Botallus à criminatione tua liberabitur: ita enim amborum cauſa hîc coniūcta eſt, vt ſi vnum accuſes, alteri quoque te non parcere neceſſe ſit. Inter hæc à medicis ad Grammaticos diuertis, hoc eſt ab equis ad aſinos. horum tu veluti nomophylax turpis in eorū leges peccati Botallum reum facis, quod grauiſſimam hydropem dixerit, vbi tu grauiſſimum dicendum cenſes: ſed hîc illic timendum non eſt, à cenſura tua: Nam grāmatici Græci ſub quorum iudicium hæc vox cadit, omnes vno ore illum culpa liberant, vocem illam fœminino articulo tantum notantes. in Hippocratis ſermonem vbi ξήρος ὕδρωψ legitur fortè ſolœciſmus librariorum culpa irrepſit. vt alij alibi à Galeno obſeruantur. Latini quoniam pro hydropico hydropem dicūt in maſculino genere eam vocē enuntiant, vt videre eſt apud Horatium, qui dixit creſcit indulgēs ſibi dirus hydrops. Huius cēſuræ tuæ futilitas fecit, vt ſupra te aliquot tuorum huiuſcemodi erratorum monuerim, quæ alioqui lubens eram prætermiſſu

Vide etiā aphoriſ. 56. lib. 7. pandiculatio &c.

2. carm. ode 2.

rus, vt, *peccatum quem: Hippocratem dictionem illam traductã eſſe: in ſaxo impingere: pluſquam cæteros omnes ſapere videris*, & alia plura fortè oculos noſtros huiuſcemodi erratorum minimè curioſos effugerunt. A verbis ad rem redeo, téque per tua ſequor veſtigia. Illi poſtmodum vitio vertis quòd venæ ſectionẽ dicat ab Hippocrate admitti in hydrope, cuius cauſa fuerit hepatis inflammatio. Nam morbi quidem ab hac cauſa orti mentionẽ ab Hippocrate fieri, inquis, ſed non eius remedij. Si ſedatò animo Botallum legeres, Villice, falſum eſſe intelligeres quod obiicis. ille enim tãtum ſcribit multos admiſſuros ſanguinis miſſionem in ea hydropis ſpecie, quæ ab inflammatione fit, cuius meminit Hippocrates. Fruſtra quoque te torques, vt probes nullum eſſe poſſe vſum ſanguinis miſſionis in confirmata hydrope, vbi humidũ primigenium conſumptum, calor natiuus extinctus ſit: Nam Botallum ea in re non habes repugnantem. eius diſputatio eò tantũ ſpectat, vt eam ex vulgi & vulgarium medicorum animis opinionem euellat, qua ſæpe ſanguinis miſſione abſtinent metu hydropis, quaſi

quaſi illa hydropẽ vel accerſat, vel augeat refrigerato hepate. nam multiplici obſeruatione aliquot maximarũ ſanguinis effuſionum per vulnera & criſes, quas nulla ſecuta ſit hydrops, nec manifeſta hepatis refrigeratio, docet nullam eſſe cauſam cur à ſanguinis miſſione hydrops tantopere timeatur. quin potius eum morbum ſæpiſſimè maximéque originem ducere à ſanguinis vel abundantia, vel vitio, & denique à calida viſcerum intẽperie, quibus cauſis nihil æquè medetur ac venæ ſectio, niſi quid aliud impediat: proptereáque imminenti huic morbo, vel eius principio nihil eo remedio magis ſalutare eſſe. quem rem Galeni authoritate, & aliquot ſuis exemplis confirmat. Huc animaduerſionũ tuarum ſpicula collimare oportebat, Villice, non fluctuante oratione huc illuc vagari, tandémque araneas tibi confingere in quas arietes contorqueas, quod paſſim hoc tuo libello facis. Illud ex Hippocrate de Morbo magno dum in intentione eſt, non attulit vt imitemur: ſed vt eius authoritate facilius obtineat, quod quærit. Nam ſi Hippocrates in cõfirmata hydrope venam ſecat,

cat,cur mihi, inquit,non concedatur venã ſecari poſſe imminẽte aut inchoante morbo?quãquam quod ad confirmatum eum morbum attinet, venã in eo ſecare ad curationem inutile fuerit, cùm nulla ſit ſalutis ſpes: fortè tamen ſecari vtiliter poterit, vt reuulſione & imminutione humoris morbifici, qui per venas ad pulmonem & cor magna copia irrumpens ſuffocationis periculum adferebat, vita paulò diutius ſuſtentetur: id tamen fieri Botallus nullo loco iubet. In imminente ſolum incipientéque hydrope, vt diximus ſanguinis miſſionem commendat: ídque oſtendit cum aliis argumentis, tum duplici exemplo, ſuo,inquam, & Epiſcopi à ſancta Fide, qui vnius huius remedij ſummo beneficio eius morbi minas, & iam infeſtantia incommoda præclarè eluſerunt. Quorum exemplorum vi etſi ita premeris, vt reſiſtere nequeas, tamen hîc quoque antiquum tuum retines, hoc eſt inſignis ac ſtrenuus vitiligator eſſe pergis.nam vt huius curatiouis promerita laude remedium remediiq; autorem Botallum fraudes, Epiſcopi morbũ verbis extenuas,naturę commoda

moda roburq́; & propenſionem ad eũ propulſandum, & facile ferendam ſanguinis miſſionem, amplificas. quod dũ facis non vides quanta iniuria reliquos quoque medicos qui eum antea curauerant afficias. qui non ſolum id remedium illi eo tempore non propoſuerant, ſed metu hydropis iam iam gliſcentis obdiuturnam quartanam & tumidum lienẽ, illud etiam ſummopere repudiauerant. Sed tu ſcilicet ſingulari tua prudentia qua rebus, poſtquam ſuam hiſtoriã peregerunt, tam bene prouides, ſi præſens adfuiſſes illa omnia optimè cognouiſſes, Reuerendiſſimóque illi Antiſtiti eo auxilio quod Botallus fecit ſuccurriſſes. hoc enim innuere videris, dum nunc poſt rem tam belle de curatione diſſeris, illiuſq́; facilitatem prædicas inquiẽs: *Ne nobis miraculi loco obtrudas exemplum eruditiſsimi, & integerrimi epiſcopi à S. fide, qui cum & ætate florẽti eſſet &c.* Sed ſera eſt Villice & ignaua ea medici ſapientia, quæ illi tantum poſt morbi ſucceſſum contingit. facilè enim fuerit poſt defunctum vel morbo vel vita hominem de morbi, mortis, aut ſalutis cauſis, de curandi ratione, & prognoſt Fol.46.a

gnoſtico verba facere:imperitis enim hãc dicendi aut garriendi potius ſecuritatem rerum ſucceſſus & euentus ſubminiſtrare ſolent. Antea vero dum cauſæ adhuc latẽt naturæ obſcuritate,tótque accidentium & ſignorum diuerſitate,atque etiam (vt ſæpe accidit)inter ſe repugnantia obuolutæ,eas artificioſa coniectura ita animo conſequi & diſcernere vt accommodatis remediis cures morbúmque euincas,aut ſaltem funeſtum exitum, ſiquidem futurus eſt, maturè cognoſcas,atque prænũties,hoc opus, hic labor , hæc vera medici laus eſt & gloria.hos verò medicos qui ante Epiſcopo in huiuſmodi morbo adfuerunt crediderim doctos & eruditos eſſe nihílque eorũ quæ cognoſcenda erant , non cognouiſſe, nihil quod ad curationem rectè inſtituendam pertinebat,prætermiſiſſe,hoc vno excepto remedio, quod pro inſita à multis ſeculis medicorũ animis opinione in huiuſmodi grauibus,& difficilib⁹ morbis ſuſpectũ habebãt, id tamẽ hîc nõ cõtẽpturi, vt eſt veriſimile ſi tãta in eo ſanguinis copia,quantam tu prædicas, ſi tantus feruor extitiſſet. Quare excuſandos potius quã accuſandos
eos

eos eſſe iudico. quũ multa egregia, & ſummè vtilia ab hominibus hodie ignorẽtur, quę tamẽ forte olim, caſu vel alicuius perſpicacitate & induſtria inueniẽtur. quanq̃ hæc tibi fruſtrà dicuntur, qui nil non ſcire te aut ſaltẽ ex tuis libris vbi annotata ſunt omnia, non eruere poſſe prædicaſti. hincq́; vt puto hauſiſti illam curandi Epiſcopi facilitatem à medicis qui illum ante Botallum curauerant ignoratam, nunc verò à te nobis tam bellè explicatam. Huiuſmodi ſtropha quoque ludis in hiſtoria Illuſtriſſimi Biragi Franciæ Cancellarij, qui etiam iam ſeptuagenarius graues periculoſoſq́; morbos ſuperauit, & oculorum aciem in eam vſque ætatem incolumen ſeruauit beneficio ſanguinis miſſionis ſæpe & copioſe repetitæ, quod remedium eo modo adhibitum eſſe etſi non neges, eius tamen beneficiũ non ita patienter admittis: Nàm hîc quoque ad ſingulare illud improbitatis tuæ aſylum tergiuerſando confugis, naturæ inquam robur peculiaremq́; præſtantiam. huic omnia in Botalli odium & inuidiam refers: remedio autem tantum abeſt, vt laudem vllam concedas, vt etiem detrahas Fol. 86 a.

detrahas, ac etiam ipſum nocuiſſe dicere non verearis. eadem animi peruerſitate credibile eſt cum decurſa olim ad extremúmque exacta ætate, Ampliſſimus ille vir naturę debitum exoluerit, dicturũ te (ſi ſuperſtes fueris) ſanguinis miſſionis culpa (à qua tamen ſemper commodum ſenſerit ſæpe vero à lethalibus morbis ſeruatus ſit) non fato ſuo illum ſublatum eſſe. quis hîc ſummam tuam Botallo obtrectãdi & maledicendi cupiditatem non animaduertat, animaduerſamque non ſummopere damnet, atq; execretur? omitto quod hoc dum facis ſapientiſſimi Cancellarij iudicium, vt grauiter ita & ineptè accuſare videris, qui eo remedio, quod illi tãtopere noxium ſit, (ſi tibi creditur) tam copiosè & frequenter vtatur, nec tot annorum experientia illius nocumentum cognouerit, quin potius maximam ab eo vtilitatẽ (etiam in grauibus morbis) ſe accepiſſe exiſtimet. Sed vt video, non tibi cura eſt, quid dicas, dum maledicas. Quod verò ad naturæ illã pręſtantiam attinet, etſi non ſum neſcius naturas, vt ait Hippocr. morborum eſſe medicatrices, in grauibus tamen & difficilibus morbis illas

artis

artis egere auxiliò,nemo eſt qui dubitet. Porrò quæ natura eſt hæc tam ſingularis præſtantia podagræ grauibúſque aliis doloribus & morbis(vt continuis iiſque difficilibus febrib9 ) à multo tẽpore obnoxium eſſe? Cur illa in reſtituenda ſanitate, reſiſtendóque cauſis quæ morbos inferre poſſunt,æquè non ſe prodit,ac in ipſis morbis poſtquam facti ſunt, euincendis, quos tamen non per ſe ſolam ſed venæ ſectionis beneficio expugnaſſe cõſtat? Illã itaq; hîc fruſtra opponis,quũ vt egregia & inſignis ſit, tanta tamen eſſe nequeat, quantam tu prædicas,nec tã propria & peculiaris quin eandem in multis aliis nõ liceat inueuire, vt videre potes in plæriſque aliis exemplis quæ in Botalli libello legũtur. Integra itaque manet eius ſentenria,non eſſe adeo in ſenibus pertimeſcendam,cum morbus poſtulat, frequentem & copioſam ſanguinis miſſionem quemadmodum vulgò medicorum fit:quum permulti ſint qui eam optimè ferre vtilitérque ad grauium morborum curationem & prouiſionrm adhibere poſſint, niſi aliud quid prohibeat, quibus tantum abeſt vt oculorũ acies hebeteſcat,

(quo nomine tamẽ plærique omnes nulla ratione & iudicio, ſed vulgari tantum & vetere opinione ducti nobiliſſimum illud remedium inflammare ſolent) vt mirificè incolumis conſeruetur, ac etiam acuatur. quemadmodum ego etiam in aliquibus noſtris ciuibus obſeruaui. Non negat tamẽ eſſe aliquos qui magis aut minus aliis ei remedio apti ſint, & qui copioſiorem aut parciorem ſanguinis miſſionem ferre poſſint. Imò eius rei præcepta quædam tradidit, quatenus eius inſtituti ratio poſtulabat, ſanguinis certam quantitatẽ definiẽs cuique commodam, quod à nemine hactenus factitatum ac ne tentatum quidem præterquam à Botallo reperias, ex quo magnam illi à ſtudioſis omnibus gratiam deberi puto. Eius autem de ſanguinis miſſione in viſione læſa inſtitutus ſermo, eo tantum ſpectat, vt oſtendat cum alia quapiam de cauſa venæ ſectio requiritur præſertim in ſenibus non eſſe omittẽdam, metu ne videndi functionem lædat, cum non ſolum non obſit, ſed etiam in maxima cauſarum parte, quæ oculorum actionem offendunt, ſummopere proſit, eius inſtituto

ſatisfa

ſatisfuerat hoc docuiſſe : quod fecit. quid hîc tu? vt rhapſodiarum tuarum diuitias nobis oſtentandi hîc quoque occaſionem aliquam nanciſcaris illum grauiter coarguis, quod omnes viſus debilis, deprauati, aboliti cauſas ſigillatim non enumeret. quaſi id eſſet hoc loco ſummè neceſſariũ. Quare te ad eas non tàm explicãdas quàm ex Galeno exſcribendas accingis, illíſque permultas paginas inutiliter, & magno legentium tædio conſumis : quod verò tibi præcipuum eſſe debebat, ſiquidem Botalli de ſanguinis miſſione in hac re ſententiam euertere in animũ induxeras, leuiter tantum attingis. eius ſententiæ ratio & confirmatio ea erat quòd viſionis præmaturæ ablitæ, aut imminutæ cauſæ potius eſſent poſitæ in vitio aut copia alimenti oculos nutrientis, quàm in eius defectu. his tu quid in tota illa tua prolixa diſputatione oppo-nis? nihil: addis tantum viſoni ſpiritus paucitatem, aut impuritatem, aut etiam cum externo lumine coniunctionem : ſed hæc ſuperiorem ſententiam non confutãt, & ſi bene examines, ab alimenti quoque vitio vel abundantia magna ex parte præſertim Fol. 85.

duo priora pendere comperies. quare noli vereri, ne hęc tua argumenta nimis vrgeāt (vt tibi adblandiendo fingis) adeo enim inania ſunt & futilia, vt ne moueant quidē quemadmodum & reliqua quæ ſequutur, quæ peſſimo detractore & conuitiatore digna tantùm ſunt, non philoſopho. Nec ab his moribus diſcedis dum exemplo, quod de ſe Botallus attulit, reſpondes. Scribit ſe ante quinque annos cum febre quartana laboraret, etſi reliquis medicis in mittendo ſanguine audentior eſſet, timidiorem tamen tum adhuc fuiſſe quam pro medicina recte facienda eſſet opus: quare poſt miſſum bis ſibi ſanguinē morbi initio non auſum ſe vlterius progredi propter communes eas medicotū rationes, quibus hæmophobia defenditur, quæ ſummatim illic ipſe recitat: hęc eius pleniſſima cādoris & ſynceritatis verba, tu temerator peſſim⁹ in amētiſſimæ maledicētiæ tuę venenū cōuertis, quod tandem in eum euomis, ſic inter cætera conuitia illum aggrediens.

Fol. 46.b *In mittendo ſanguine licet aliys medicis eſſes audientior timidior tamen fuiſti in ſanguine tibi detrahendo. malebas nempe eius remedij cu*

*non*

*non ſatis confidebas in alieno corpore periculum facere quam tuo.* Næ dignus es, viliſſime Villice, cui propter tot impudentes tuas calũnias in foro Cumano barbam petulãs Nonaria vellat, vt inquit Perſius. Non auſus eſt eius morbi initio ſæpius ſibi mittere ſanguinem, quia nondum eam de ſanguinis miſſione ſententiam, quam nũc habet, in animum induxerat, vt ipſe apertè teſtatur, nec dum in alio quoquã ea ſanguinis mittendi ratione vtebatur. tandem illam amplexatus nono morbi menſe breuibus temporum interuallis ter ſibi ſanguinem miſit ad libram vnam aut vncias decẽ ſingula venæ ſectione, eóque remedio percuratus eſt. quid ergo hîc deblateras maluiſſe eum in alieno quã in ſuo corpore illius remedij periculum facere? imò contra ſe res habet: Prius in ſuo admiſit, deinde in reliquis eo vti cœpit fœliciſſimè: vt facilè ex eo loco ęquus lector cognoſcere poteſt. De metu hydropis à ſanguinis miſſione ſuprà tibi reſpondi, eum tamen iterum hîc tueri tentas ex Galeni loco tibi primum à Botallo aſſignato, vbi ex obſeruationibus ſuis colligit Galenus hydropem conſequi

poſſe ad immodicã euacuationem ex vtero vel hæmorrhoïdibus. hanc ſententiam etſi veram eſſe fatetur Botallus, fallacem tamen eam eſſe conſecutionem contẽdit, quam inde multi deducunt, nempe à frequenti ſanguinis miſſione hydropis imminere periculum. At, inquis tu, ex veris nihil niſi verum colligi aiunt. Fateor, Villice, ſi legitima & perfecta ſit argumentationis forma, qualem in ſuperiore conſecutione

Fol 47 b non inuenies. Addis: *Si quis igitur ſymptomate quod ſanguinis profuſionem nimiam ſequitur admonitus operam dat, vt ne ex artificioſa ſanguinis vacuatione idem contingat, malène tibi colligere videtur?* Non malè quidem, ſi tantùm caueat ne nimiũ ſanguinis mittat. Malè verò cum inuiolabili lege ſtatuit in aliquo morbi genere, vel omnino non omittendum eſſe, vel nimiam eam quantitatem aut frequentiã eſſe, quæ tamen intra modum, & vtilis in aliquo eſſe poſſit, qualis ea eſt quam ſe in multis curationibus adhibuiſſe Botallus ſcribit. Malè etiã cùm putant hydropes illas, quarum modo ex Galeno facta mentio eſt, ratione tantùm ipſius ſanguinis effuſionis factas eſſe, quũ

vt docet

vt docet Botallus, ſimul etiam & maximè
ab interno humorum & viſcerum vitio à
quo eæ quoque euacuationes originẽ du-
xerunt, exortæ ſint. Vix enim, inquit, ſim- ‘
plices ſeu nulli humorum aut viſcerum vi- ‘
tio coniunctas ſanguinis effuſiones etiam ‘
inſignes hydrops ſequitur. ídque docet, vt ‘
etiam alibi admonui, aliquot earum effu-
ſionum hiſtoriis, quibus & admodum lar-
gis hydrops minimè ſucceſſerit. quod etiã
nos ſæpe vidimus, in copioſis & ſępe etiam
repetentibus hæmorragiis è naribus: in ve-
narum ſectionibus aperto noctu inter dor-
miendum vulnere, ac etiam in aliis vulne-
ribus vbi paucis horis ſanguinis aliquot li-
bræ effluxerunt, magno quandoque com-
modo, nullo verò vnquã, quod reſcierim,
incommodo. vires tantú corporis aliquan
tum deiiciebantur: quas tamen bonorum
ciborum vſus pauco tempore inſtaurabat.
His exemplis Medici animus erigi debet
ad redarguẽdã eorum vanitatem, qui ſan-
guinis miſſionem duarum aut trium libra-
rum etiam multis diebus diſtributum (vbi
per ſingula interualla ſanguis, & vires vi-
ctus ratione reficiuntur) tanquam hydro-

pis ſumme ſuſpectam, etiam in hominibus mediocriter robuſtis, & cum eo remedio eſt opus penitus auerſantur. Ad Botallum redeo aduerſus quem, quaſi ſuperiore oratione artis principia tollat, ais non eſſe diſputandū, tamē in illum ita inſurgis. *Doce*
Fol.48 a *nos ſi potes à quo didiceris calorē innatū nimia quidē humoris abundātia ſuffocari: penuria tamen nulla diſsipari.* Et hîc quoque villicaris, Villice: quódque refellere nequis inepte tergiuerſando calumniaris. nō negauit vt quilibet videre poteſt, effuſione ſanguinis calorem tandem extingui poſſe, qui etiam non ignoret multos purpuream animam, vt inquit Poeta, cū ſanguine fundere: tantum aſſerit rariſſime obſeruari hydropes à ſimplici ſanguinis effuſione ortas cū perpetuo fere coniūcta ſit viſceris alicuius intemperies, vnde præcipua & frequētiſſima mali labes. In hæc quæ Botallus apertiſſime enuntiat, diſputationis tuæ aciem conuertere debebas téque illic virum oſtendere, non vero ſententiam eius hoc modò inuertere abſurdéque interpretari, vt tuis reprehenſionibus pateat, quas etiam nullis aut tantū leuiſſimis rationibus confirmas.

in ma

in maledicendo enim & calumniando ſtre nuus es athleta, vbi vero legitimę diſputationis ſeſe offert occaſio, tantùm vmbra es. lepidus vero es dum culpam hanc quam tuipſe paſſim committis, verba, inquam, & ſententias Botalli inuertendo prauéq; detorquendo, ipſi Botallo frequenter obiicis quaſi eam in Hippocrate ipſe præſtet. Ad locum enim de pulmonis hydrope ſic illi obloqueris. *Nunquam (opinor) deſines de Hippocrate male mereri, huius verba vel immutando, vel prauè detorquendo.* Sed hîc audio verba tua tantum, rem vero non inuenio. Hippocratis enim latinus text9 id habet, quod Botallus ex eo adduxit, vt ſi qua culpa ſit, Cornarij ſit, & tua, qui in Botallũ alienum crimen impingis. Hinc ſtatim ad Stimargi Ancillam deuenis. In ea ita te occupas ſeu implicas potius, vt nullam te inde explicãdi viam inuenire videaris. Omne telorum genus, vt Botallum ferias, experiris, ſingulas pene eius ſermonis particulas excutis, & variè exagitas conquiſitis vndiq; rationibus & autorum ſentẽtiis. In quibus adeo prolixus es vt octo & viginti paginas in illis conſumas, nullo tamen ſucceſſu prętep-

Fol. 48. b

quam demonſtrationis vaniſſimæ ambitionis & maledicentiæ quas hîc maximè omnibus apertiſſimè cognoſcendas præbes, vt non neceſſe ſit,in illis manifeſtãdis vllam me operam ponere.Reprehenſionibus itaque tuis tantum quàm breuiſſimè reſpõdebo. Primum vt medicorum in eas gratiam in Botallúmque inuidiam concites totis loquentiæ tuę viribus innixus eũ, quàm grauiſſimè potes accuſas,quod, omnes qui per vniuerſas gentes (ſic enim rem
Fol.50.a. amplificas)quæ cum diſciplinis & cum doctrina commercium habent, medicinam ſumma cum laude & dignitate profitẽtur nulla mendacij conſcientia perterritus(ſic quoque exageras) ipſos ad auxilium illud venæ inquam ſectionem, in lochiorũ ſuppreſſione ferẽdum ſegniores eſſe cõminiſcatur,quod,inquis,non niſi magno ſcelere prætermitti poteſt.ô vehementiam! quî ſe Botallus ab ea tueatur? Sed vereor mi Villice ne quã Botallo paraſti foueam , in eam tu ipſe incidas,& pro gratia odiũ tibi compares. Vt ſibi timeat Botallus non eſt neceſſe,liber enim eſt à criminatione tua, cum non dixerit omnes medicos id auxilij

in eo-

in eo morbo reiicere hoc enim tuum eſt commentum. Multos vero ego noui doctos alioqui & præſtantes medicos tùm in Belgio noſtro tùm in Gallia, & Italia qui Botallum hoc crimine mendacij quod illi leuiter & petulanter impingis, ſponte & facilè abſoluent: quum vel omnino illud remedium reſpuant (in lochiorum ſuppreſſione, vt in aliis quoque plurimis morbis) vel non niſi poſt tentata omnia alia remedia tā adſumpta, quàm admota adhibeant. Huiuſmodi multos alibi eſſe minime dubito, etſi tu neminē te accepiſſe dicas, qui tātum ſcelus, vt inquis, admiſerit. Sed non Fol. 50. b. magnæ fidei teſtimoniū ea de re tuum eſſe poteſt, quum, vt ex his facilè eſt videre, cū medicis in vmbra & otio tantum verſeris, iiſdem verò medicinam circa ægrotos facientibus vel nunquam vel rarò adſis. illi itaque qui venæ ſectionem in retentis lochiis non ita facilè probant, quorum magnam eſſe copiam certiſſimum eſt, quid dicturos putas cùm intelligēt ſe ſummè ſceleratos abs te appellari? númne te omniū ineptiſſimum & imperitiſſimum iuſta occaſione eſſe dicent? Huic itaque tuo teſtimonio

monio veluti diffidens,alia ratione propoſitum comprobare niteris, aduocatis ſcilicet in auxilium libris tuis, ex quibus tanquam inexhauſto rerum omnium quæ à medico ſciri debent, & poſſunt, theſauro (quemadmodum alibi etiã profiteris)nihil eſt tam abſtruſum quod depromere non poſſe ſperes. Ab illis egregiam ſi Diis placet ſententiæ tuæ confirmationem accipis quæ nobis memoriam renouat illius argumẽtationis quam admonitionis tuæ initio tam bellè connexuiſti de Echûs & Narciſſi diſſimilitudine.Nam planè eiuſdem eſt artificii.Tuas itaque ampullas proiicere perFol 50.b. gens ſic ratiocinaris : *Pleni ſunt medicorum libri,plenæ ſapientum voces, plena exemplorum tum vetuſta,tum etiam recens memoria, quæ abundè teſtantur quantas in vtramque partem vel ad ſecũdam vel aduerſam valetudinem opportunitates habeant lochia,vt eum qui in ijs cognoſcẽdis ſtudium ſuũ poſuerit,cohortatione tua ad ſanguinis miſsionẽ illis ſubſidentibus cõcitari non ſit neceſſe.* Sed ita ſit, Villice,ex ſapiẽtũ libris didicerint medici retenta in puerperis purgamẽta bonæ valetudini ſummopere eſſe incõmoda, éſtne propterea concludendum

dendum eos miſſuros eſſe ſanguinem? Id enim mulierculas quoque ipſas non latet, quæ tamen tantũ abeſt, vt venæ ſectionem tunc vtilem putent, vt (à medicis ſcilicet vulgaribus perſuaſæ auocari naturã à ſpõtanea lochiorum expurgatione ſi ſecetur vena) eam maximè refugiant, & reſpuant. De medicis verò qui ſcis an medicamentis (quemadmodum ferè fit) in ea re vtantur potius quàm venę ſectione? At, inquies, iiſdem ſapientum monumentis commendatur in eo morbo venæ ſectio. Nec ſic quoque quod vis obtinebis. Nam quam multa in authoribus etiã optimis optime ſcripta leguntur, quæ tamen cõmuni vſu minime vſurpantur? Vnum tibi de multis exẽplum proferam. quis neſcit Galeni cõſilium fuiſſe in febribus continuis, dum vires ferant mittẽdum eſſe ſanguinem ad animi vſque deliquium, illúmque ſępe ad libras ſex fœliciter miſiſſe? At quotus quiſq; inuenitur, qui tam copioſè mittat? Si quis ergo medicos cohortetur, vt ad eum vſq; terminum & ad eam quantitatem (cum morbus fert ſcilicet) ſanguinem detrahãt, dices ne inanem & futilem eſſe eius cohortationem,

quoniam

quoniam id ad quod monet in medicorũ libris abũdè deſcriptum inueniatur? ô ineptiam. ſed præter eam adhortationem ad mittẽdum in ſuppreſſis lochiis ſanguinem habes etiam à Botallo & copioſius mitti in pleriſque poſſe, quàm fiat, vt ex eius libello cognoſci poteſt. Sed reliquas velitationes tuas in ſtimargi ancillæ hiſtoria conſideremus. Accuſas quoque Botallum quod dixerit multis viſum iri abſurdũ miſſum illi eſſe ſanguinem toto corpore tremente. At id Hippoc. innuiſſe videtur, quẽ propterea ſic loquẽtem inducit Galenus loco abs te
" deſignato. Tremor frigid⁹ eſt affectus, ſan-
" guis vero calid⁹. Nõ igitur auſus fuiſſet ali-
" quis ſanguinẽ vacuare in affectu, qui cale-
" factionẽ deſiderat: Ego tamen auſus ſum.
Eſt itaq; hæc Hippocrat. admonitio veluti ἔνστασις quędam qua refellit vniuerſalẽ medicorum ſui temporis ſentẽtiam qua aſſerebant non eſſe detrahendum ſanguinem in tremore aliiſq; huiuſmodi affectibus frigidis: quæ ſententia quoniam hoc tempore etiamnum in multorum medicorũ animis reſidet, rectè fecit Botallus qui eã Hippocraticam ἔνστασιν nobis in memoriã hoc

loco

loco reuocauit. Et ſi tu neſcio quid hîc erratum eſſe à Botallo in colligendi ratione dicas,tãquàm ex Hippocratis hiſtoria cõcludat mittendum eſſe ſanguinem in omni tremore.quod opinor non eò abs te illi obiicitur,quod ita eſſe putes.(non enim te adeo bardum , & ſtupidum eſſe credo vt ex Botalli oratione,quæ perſpicua eſt, non intelligas rem ſe aliter habere)ſed vt ex his tuis de dialectica ſermonibus te in ea diſci plina aliquid ſapere ſimules quum tamen eius te imperitiſſimũ eſſe in ſuperioribus aliquot ratiocinationibus tuis experti ſimus quid quod,imperitiam tuã hîc etiam prodis,cum materiam & formam ſyllogiſmi partes appelles? númne ſi hoc in dialecticorum ſcholis dixeris pueris etiam ipſis ineptus videberis?ſed ad rem. Accuſationẽ tuam perſequens,inquis, *Imo vero Hippocr. dum ſanguinem mitteret aliam tremoris rationem non habuiſſe contra te contendo quàm quod copioſioris ſanguinis ſua mole atque põdere vniuerſum corporis habitum opprimentis certiſſima daret argumẽta. quod enim addit Hippoc.( cum etiam tremores totum corpus occuparent ) perinde eſt ac ſi diceret, tremores quidem prima frõte* Fol.51. b.

*à venæ*

*à venæ ſectione auocare potuiſſe* &c. Et hîc impudens es & ineptus qui Botallum ea doceas quæ prius ipſe te docuerat multò copioſius & eruditius. Sic enim ſcribit pag. 37 & 38. ſui operis. eſt poſtremo loco in allata hiſtoria expendendum cur in fine hiſtoriȩ Stimargi Ancillæ ſit dictũ ad cauſam eſſe deueniendum & cauſæ principium, cum de ea tamen nihil dicat. Videtur eſſe ratio quod noſceret ſe in hac curatione genus auxilij vſurpaſſe, quod forte plærique medici in tali affectu non facile approbaſſent, cum materia quæ tumores facit, multis frigida eſſe credatur & quod recens puerperium &c. & paulò poſt, cauſa igitur eſt humor in corpore redundans cauſæ principium, vis iecoris mittẽtis ad vterum, & vis vteri tranſmittentis aut labi ſinentis ad coxam, & crus id, quod ille recipere, aut receptum vtiliter retinere, aut per proprias venas expellere nõ poteſt, ergo ſi quis hȩc recte examinet, fateri cogetur humorem eum, qui in coxam decumbebat, & acerbũ dolorem edebat, pro curatione poſtulaſſe ſanguinis euacuationẽ. Vides quàm aperte Botallus dixerit mittendum fuiſſe ſanguinem

guinem ob humoris redundantiam. Dupliciter itaque peccas: Primùm quòd eum reprehendas quaſi aliter ſenſerit. Deinde quod nobis Botalli ſententias pro tuis vendites, iiſdẽq; ipſum opprimere contendas. qua nulla maior impudentia excogitari poteſt. Ac etiam ſic illi inſultas, *nõ enim ſatis fuit dicere ſanguinis miſsionem ab Hippocrate adhibitam fuiſſe, ſed vna etiam rationem reddere oportuit.* Reddita eſt, Villice, ab illo ratio, & à te etiam (vt diſſimules) optime animaduerſa, ac in vſum tuũ conuerſa, vt ex iis quæ ſuprà attulimus, quilibet cognoſcere poteſt. quod autem huic redundanti humorũ copiæ tremoris illius Ancillæ cauſam tantum tribuere non videatur, ſed etiam mordenti qualitati eorundem, & halituum, qui ab illis ad neruos deferuntur, nõ eſt ita à ratione alienum, vt exiſtimas: id enim nõ facit ignoratione differẽtiæ, quæ ſtatuitur inter rigorem & tremorem: nam illam ſe optimè intelligere indicat pag. 39. cùm ait: non enim ſic hi tremores partium dolores, aut eorum cauſas extenuãt vt rigores (viribus corporis valẽtibus) febri ardenti ſuperueniẽtes febrim

Fol. 51. b.

comminuunt & ſoluunt: ſed quòd cogitaret tremorem illum non eſſe omnino eiuſdem rationis cum eo cuius continentem cauſam Galenus tantum ponit in virium imbecillitate, comment.1.in 3.Epid.part.2. Hūc enim Galenus lib. de Tremore cap.6. peculiarem & vnius tantum partis affectū eſſe teſtatur. At Ancillæ tremor totum corpus, inquit Hippocrat. occupabat. Præterea Galenus tantum vult tremorem accidere parti dum eam mouere volumus, ceſſare autem dum eam aliquo loco eſſe ſinimus, vt quieſcat. Quare ſi ſimpliciter illā tremuiſſe dixiſſet Hippocrates, exiſtimare poſſemus illā tremuiſſe vel capite, vel manu, aut aliâ parte, dum eam mouere tentaret: At toto corpore tremere eam, quæ à partu laborat & afflicta eſt, & propterea etiam in lecto, vt veriſimile eſt, decumbit, vt quieſcat, quid aliud eſt quam nō in motu volūtario id illi accidere, & à partis quæ voluntariè mouetur imbecillitate, ſed etiā quum moueri non vult concuti, & ab aliqua cauſa corpus mouente & inſtigāte, vt inſigni prauitate, quam ineſſe ſuppreſſus lochiis ſcribit Galen. loco abs te adducto.

Rectè Galenus cum corpus humanum vel eius partes præter naturã moueri varia ratione, & à diuerſis cauſis animaduerteret, motus eos præter naturam inter ſe diſtinxit pro varietate cauſarum, partium affectarum & accidentium, ſingulóſque proprio nomine appellauit. At primus eſt qui id fecit, vt ipſe teſtatur ad finẽ cap. 8. lib. 1. de ſympt. cauſis. Veteres enim ea inter ſe variè cõfundebant: vt videre eſt apud eundem libello de tremore. Quare nõ eſt neceſſe Hippocratem vbi tremoris mentionem facit, intelligere ſemper motum eum præter naturam à ſola partis alicuius imbecillitate dum voluntatis noſtræ arbitrio mouetur, prouenĩetem. Nam videtur eam vocem etiam vſurpaſſe pro motu, qui partibus accidit ab aliqua cauſa præter naturam concitatis: vt hoc loco (quamuis Gal. aliter interpretari videatur) & Aphor. 26. lib. 6. vbi ait, qui in febribus ardentibus tremores fiunt delirio ſoluũtur. quem locum Hieronymus Cardanus inſignis doctrinæ vir ita exponit in Comment. in eum Aphorismum: Tremores ſi fiunt in febribus ardentibus, cõtingunt, quia vapores pellun- Cõm. 5. in lib. 5. Epidem. hiſt. 2.

, tur ad cerebrum, & antequam in vētricu-
, los poſſint penetrare, tranſmittātur ad prin
, cipia neruorum, vnde ex illorum punctio-
, ne tremit illud membrum, &c. quare data opera, & iuſta, vt mihi videtur, de cauſa Botallus inter tremoris Ancillæ Stimargi cauſas ponit mordentes halitus & ſuccos: vt non egeat ea in re admonitione tua, de diſtinctione rigoris & tremoris ex Galeni ſententia, quam illum non ignoraſſe tibi ſuprà oſtendi. Sed tu non admonendus tantùm, ſed etiā caſtigādus es de definitione Tremoris, quam vt Botallum doceas, ſic pro-

Fol.52.b ponis. *Tremor verò*, inquis, *motus eſt voluntatis arbitrio ſuſceptus, nec tamen optati compos ob infirmitatem partibus inſitam, quæ ipſam tātum demittit, quantum facultas ſurſum attollit.* Tantum ex Commentario ſapis, Villice, ſi quid ſapis: cum autem ab authoris tui præſcriptis verbis vel tantillum diſcedis, tuiſq; velis, vt ita dicam, nauigare incipis, ſtatim impingis, vt ex hac tua definitione perſpicuum eſt, in qua cum Galeni verba mutas tuaque eorum loco ponis, ac ex te aliquid tandem dicere audes, illico multipliciter peccas. Hic enim tot penè peccata inue-

nio.

nio quot verba. Primò imperitè in ea definitione generis loco ponis, Motum voluntarium: is enim tremoris genus non eſt, ſed pars tantum quædã. Nam vt inquit Gal. in trementibus cõpoſitus ſeu mixtus eſt motus prout robur membrum erigens remiſerit, parte ſemper deorſum delabãte. quin ſi alicuius motus nomine appellandus eſt tremor, rectius eum appellaueris motum præter voluntatem, qui in eo primas obtinet. & propterea tremor à Galeno dicitur eſſe motus præter voluntatem quo ſurſum & deorſum vicibus permutatis partes feruntur. Imperite quoque addis, [ob imbecillitatem inſitam:] nam imbecillitas quæ ab onere eſt, qualem ponebas in Stimargi Ancilla, inſita non eſt, ſed aduentitia. Ineptiſſime vero illud, [ipſam demittit.] Nam vtraque vox ſuum habet peccatum. dicendum enim eſt [ipſas] cũ ad partes eam vocem referas. Demittit, verò non conuenit imbecillitati, roboris enim eſt demittere ſeu deorſum mittere, quod impel'ẽdo fit. Imbecillitas itaque non demittit ſed labi ſinit. Sed iam tædet me ac etiã pudet tam frequentis imperitiæ tuæ. Quare moneo

Lib. de Tremo. cap. 6.

te Villice ne poſt hac tàm promptus in admonendo ſis etiam multo te doctiores, cũ præſertim videas te paſſim nõ admonitione tãtum, ſed etiã caſtigatione digna committere. Nec doctior es in carpenda tertia Bot. pag. 53. Botalli obſeruatione, qua habetur detractum eſſe ſanguinem Ancillæ Stimargi in morbi vehementia aut ſummo incremento: id ſomnium eſſe dicis. quare fruſtra te laboraturum ſcribis, ſi illud refellere tẽtes. recte illud, fruſtra, Villice: nam illico id tẽtas argumento quod nihil probat præter imperitiam & vanitatem tuam. Ais enim, Fol. 55. a *Tremores iſtos cũ viribus nimia ſanguinis mole labantibus fierent, ab ipſo principio inuadere oportuiſſe, vt teſtatur Pythionis hiſtoria initio lib. 3. Epidem.* Non futilis tantum ſed etiam abſurda eſt hæc conſecutio tua. Nam ſanguis etiamſi abũdaret tempore partus, non potuit tamen ſtatim & initio in eã copiam excreſcere, vt inde & vteri os peruerteretur, dolor denique in coxa & crure gigneretur, ac firmaretur, vt ait Hippocrat. denique vt in totũ etiam corpus ita ſanguis redundaret, vt illic tremores illos efficeret. temporis aliquo ſpatio opus fuit, vt ea omnia

nia fierent, vt ſani & æqui iudicij lector a-
pud ſe reputare poteſt. Hoc tẽporis inter-
uallo metitur Botallus morbi illius princi-
pium & incrementum: ſummum verò in-
crementum & vehementiam morbi, cùm
hæc facta fuerunt, adeò vt ad mittendum
ſanguinem Hippocratem impulerint. Cir-
ca principiũ & finem, inquit ille Aphor. 3.
lib. 2. omnia ſunt remiſſiora, in vigore au-
tem vehemẽtiora. Inſtas exemplo Pythio-
nis ex initio lib. 3. Epid. qui primo die tre-
muit, ſed ridiculè. Nam ille manibus tan-
tum eo die cœpit tremere, Ancilla autem
toto corpore tremebat. Præterea ſi eadem
vtriuſque ægrotantis ratio eſt, vt quod vni
accidit alteri quoq; accidiſſe oporteat, ne-
ceſſe erit, & eandem febri acuta & deſipiẽ-
tia correptam fuiſſe, quia iiſdem affectibus
Pythion laborabat: Pythionẽ verò ipſum
lochiorum ſuppreſſione, oris vteri peruer-
ſione, dolore in coxa & crure, ac etiã à par-
tu laboraſſe, quia iiſdem Ancilla vexaba-
tur. Vides quantum nugarum dicere coga-
ris, dũ Botalli obſeruationes quo iure qua-
que iniuria tibi impugnandas proponis. In
quarta obſeruatione partis Botallo aſſen-

tiris,partim repugnas. Aſſentiris miſſum eſſe ſanguinem ex malleolo parti dolẽti ſubiecto, in eamque (quæ tua eſt garriendi cupiditas) multa ex Galeno adducis eo loco minime neceſſaria. vndique enim occaſionem dicendi paginaſque implendi quæris. Improbas autem & reprehendis quod ille dixit potuiſſe cuipiã videri reuellendi gratia mittendum potius fuiſſe ſanguinem ex brachio, vel ex malleolo, aut poplite alterius cruris. Inquis enim: *Dico reuulſionis naturam non ferre, vt affecto ſiniſtro crure ex dextro ſanguinis mittatur.* Mox quo modo reuellendi ratio ineunda ſit ſubiicis ex Fernelio ad verbum, ſuppreſſo tamen ipſius authoris nomine quod etiam alibi facis, optimus ſcilicet cẽtonum conſarcinator. Sed Botallo ô bone idem author tuus Fernelius ſuffragatur cum alibi tum lib. 2. Methodi med. cap. 5. apertiſſime, ibi enim reuulſionẽ per contraria fieri docẽs, ait: Nomine quidem cõtraria ſunt antè, ponè, ad dextrã, ad læuã, ſurſum, deorſum, intrò, foras: Cæterũ in humorum reuulſione ne illa quidem contraria ſunt, niſi & in fibrarum venarúmque recto curſu

Fol. 58. a

Method. Med. lib. 1. cap. 9.

colloceṅ

collocētur. Pleuritidi dextræ nequaquam ‘
eſt contrarium latus ſiniſtrum. at inflam- ‘
mato cruri dextro contrariũ eſt ſiniſtrum. ‘
hinc enim communis & directa venarum ‘
ſocietas per quam ſiniſtrum crus inciſum ‘
euocat è dextro: At è dextro latere nulla ‘
vena rectis fibris in ſiniſtrũ cõcedit. Proinde huius ſecta vena dextram pleuritidem non adimit. Ita Fernelius veritati naturæq́; conſentanea locutus Botalli ſententiã confirmat. Tu contra ſtatuis, inquis enim. *Cruris ſiniſtri vena magna cruris dextri venæ magnæ colligata non eſt, ſed trunco qui ex vena caua ſecundum lumbos deſcendit, & in vtrunq́; crus diſpergitur.* Fol. 60. a Sed dum crurales venæ cauæ trunco colligantur eumq́; diuidunt, in ea diuiſione, qua parte ſeipſas contingũt, ſibi inuicem quoque colligãtur continuis ſecundum longitudinem fibris, vt oculis aut etiam mente tantùm rem intuentibus facile eſt cognoſcere. Nec nos dira illa tua maximi erroris cõminatione terrebis, quo minus Galeni quoque ſententiam amplectamur inquientis, manu laborante ſcarificabis crura: altero crure male habente reliquum. 13. Meth. cap. 5. Quo loco quin opinionem tuam

penitus labefactatam iri animaduertiſti, illi duplici ratione occurriſti: ſed malè. quis enim (niſi tui qui malũ iudicandi habitum iam quendam contraxiſti) non intelligat, illud reliquum ad alterum crus neceſſario referendum eſſe, non ad reliquam partem laborantis cruris (quemadmodum tu græca diligenter euoluens vt ais, ſuſpicaris) Cum præſertim prius dixerit Galenus altero crure male habente? Addis præterea Galenum non iubere alterum crus ſcarificare ad reuellẽdam fluxionem, ſed ad proſcindendam nouæ fluxionis occaſionem, quaſi non ſit eadem ratio reuellendi eam quæ fit, ac retinendi eam quæ fieri parata eſt, & mox futura eſt, niſi fluxurus humor in contrariam partem retrahatur. reuulſio vero illa ex crure commendatur vel cum præceſſit vniuerſalis ex brachio, aut cum plenitudo tãta non eſt: denique quia ſimul cum reuulſione fit etiam quædam deriuatio. De qua re vide Fernelium cap. 7. lib. 2. eiuſdem operis. Ab his tranſis ad reprehen-

Fol. 61. ſionem eius loci, in quo Botallus ex ſimilitudine cuiuſdam Hippocraticæ ſententiæ adductæ ex lib. de vict. in acut. concludit

intelligi

intelligi poſſe miſſum eſſe ſanguinem in Ancilla ex malleolo parti dolēti proximo. In eo bis peccatum ab illo eſſe dicis. Sed vt video maledicendi cupiditas ita te tranſuerſum agit vt aliud in alio furentium more videas. Nam neſcio quod præceptum de reuellendi ratione inde Botallum colligere imaginaris, cum tamen ex loquendi modo, quem ait ſimillimum eſſe in vtroq; Hippocratis loco ex proxima parte detractum eſſe ſanguinem tantum concludat. ſatius itaque eſt te hîc nubibus oblatrantem relinquere, meque ad alias accuſationes tuas pari diligentia examinandas conferre. Nam Botallo quoque grauiter ſtomacharis, quod reprehendat medicos, qui ſanguinis miſſionem auerſantur in pueris, grauidis, ſenibus, alui fluore laborantibus: nullóſque eſſe ais, qui in tribus prioribus id remedii non admittant. quæſtio facti eſt quæ ſignatis tātum tabulis, & teſtibus non autem rationibus diſſolui & definiri poteſt, vt ſuperior etiā de lochiis. Quare ſuū cuilibet ea de re eſto iudiciū. Quod ad Botalli aſſeuerationem tuámq; negationem attinet, ſi quid recte coniicio, maior illi fi-

des

des adhibẽdã eſt, quam tibi. ille enim quũ iam triginta annorum ſpatio medicinam faciat, cum multíſque medicis nõ in Gallia tantum, ſed in Italia, Hiſpania, Anglia, & Germania congreſſus ſit, nouiſſe potuit quod ſcriptis ſuis teſtatur. At tu qui domo pedem vix vnquam vt audio extuliſti, & medicinam à paucis tantum annis, vt arbitror profiteris, víxque circa alios ægrotos verſaris quam quos tibi tuorum librorum lectio ſubminiſtrat, quodnã hac de re testimonium niſi confictum inſectationíque tuæ maledicentiſſimæ conſentaneum ferre potes? De me verò ſi quærat quis, quid hac in re perſpectum habeam, reſpondebo pleroſque omnes, quos in ægrorum curationibus noui medicos, in iis corporibus de quibus quæſtio inſtituta eſt, vix ac non niſi cum maxima vrget neceſſitas, ſanguinis detractionem, eámque exiguã admittere. In alui autem fluxionibus Botalli exemplis, & rationibus moti paulò audẽtiores eſſe cœpimus: Nam in populari dyſenteria quæ nuper in Belgio graſſabatur, tam ſalutarem venę ſectionem experti fuimus, vt (quod ad me attinet) neminẽ cui tempeſtiuè

peſtiuè & ſæpe miſſus ſit ſanguis, interiiſſe viderim: eorum verò in quibus id auxilij tentatū non eſt, plærique conſumpti ſunt: alij nō niſi magna cum difficultate & longo tempore conualuerunt. At tu in alui fluxibus medicis ſanguinem mittere nō licere contendis, inquiens: *At num quid idem* Fol. 64.
(quod in pueris, grauidis, ſenibus) *ipſis licuit fluente aluo? minimè verò niſi quod in tremore antea docuimus, cauſa quæ alui fluorē excitauit, id remedij genus efflagitet.* Sed quæ hæc eſt cauſa Villice? In tremore vnam attuliſti imbecillitatem à ſanguinis copia & pondere: At in alui fluxibus ex tot eorum cauſis, quas indequaq; magno labore conuerriſti inſumptis etiam in illis deſcribendis duodeuiginti paginis, nullam penitus inuenis aut indicas huic remedio commodam. reliquū itaque eſt, vt ex opinione tua nullam eſſe credamus, proptereáq; fruſtra eſſe ea tua verba [niſi cauſa que alui fluorem excitauit, id remedij genus efflagitet] nam cum nulla eiuſmodi apud te ſit, quid nos ſuſpenſos tenes eius mentione? Quin liberè & vno verbo enūtias, nulla vnquam occaſione licere, ſanguinem mittere cum
aluus

aluus fluit: ſed titubas & perplexus es. Hinc te Galeni veterúmque auctoritas mouet. Illinc Botallus vrget rationibus, & exemplis: hoc tantum certum apud te eſt Botallum impugnãdum eſſe. Quare & hîc quoque ad conſuetas artes confugis, ſtrophas, calumnias, ſophiſmata: his omnia miſces, vt etiamſi nihil feceris aliquid tamen feciſſe videaris imperitis, & iis qui huiuſmo-
Fol. 64. b di ineptiis tecum oblectãtur. Primò commentitium eſſe ais Hippocratem, Galenũ, alios item medicos tam veteres quam recentiores ſanguinem mitti prohibuiſſe in alui fluore. Neminem tamen profers qui vel ſanguinem miſerit, vel mitti iuſſerit. At, Villice, hoc ſummè neceſſarium erat oſtendere, ſiquidem Botallum falſi coar-
Part. 116. guere volebas. De Hippocratis & Galeni ſententia lib. 4. de Vict. ratione in acutis, qua manifeſto venæ ſectio interdicitur fluente aluo; reſpondes intelligi id tãtum oportere de alui profluuio quod ſponte naturæ febribus acutis ſuperuenit. id nego tibi: nam nulla illic ab Hippoc. & Galeno in comm. febris acutæ fit mentio, nec tu vllã orationis tuæ rationem adfers aut adferre

potes

potes, niſi forte libri titulus qui eſt de victus ratione in morbis acutis tibi pro ratione ſit. At ea ſententia in 4. libri fine eſt, in quo, vt notat Galenus, ab aliis ad alia incõpoſitè inordinateq; fit tranſitus, multa quoq; in eo inueniũtur quę ad acutos morbos nullo modo referuntur, quale eſt hoc præceptũ de venæ ſectione non adhibẽda in alui fluxu. Quòd ſi id auxiliũ in eo morbo aliquando ab illis aut imperatur, aut conceditur, cur aliquem locum ex eorum libris nõ adducis, ex Galeni præſertim, qui tam multi ſunt, tam copioſi & prolixi? In altero Galeni loco qui ex primo ad Glauconem à Botallo profertur & reprehenditur, talem te præſtas, vt illum quidem tuẽdi & Botallo maledicendi voluntatem tibi eſſe demonſtres. Cęterùm etſi multa dicas, nihil tamen ad huius enſtaſes & rationes aliud reſpõdes, præter idipſum quod à Galeno dictum eſt, & in eo reprehẽſum. quod quid aliud eſt q̃ petere principium, vt loquũtur Dialectici ſeu pro argumento proponere quod in quæſtione eſt, & probatione eget? Tandem vt Botallum tuarum obtrectationum telis expoſitũ reddas ali-
quídque

quidque aduerſus illum obtinuiſſe exiſtimeris, multò ſermone contendis non eſſe mittēdum ſanguinem in omni fluēte aluo, aut in omni febre quæ fluorem alui adiunctum habet. At id Botallus nullibi docuit, ac ne ſomniauit quidem. Duplici ergo nomine culpandus es, tum quod inani & inutili ſermone lectorem detines, tum quòd viro optimo & doctiſſimo calumniam in-
Fol 76.b tentas. queādmodum etiam dum illi obii-
77.b 75.a cis, quod nullam cauſſam, aut cauſſæ diſtinctionem attingat, in qua velit mitti ſanguinem fluente aluo. quam impudentem calumniam, vt cognoſcat benignus lector legat Botalli libellum à pag. 46. ad pagin. 51. Quid quod ipſe etiā tui immemor eius diſtinctionem aliqua ex parte agnoſcis, teq; ad eam impugnandam accingis? quid vero Botallo opponis? Primò Auicennā qui dixit in alui fluore à calida intemperiè nato ſufficere medicamentorum modicè euacuantium & intemperiem emendantium vſum. Sed hîc, Villice, auctoritatibus non certat Botallus, ſed rationibus & experimentis. Præterea ineptè facis qui Galenū tueri te poſſe putas Auicennæ auctoritate

quaſi

quaſi aut ſuperiore,aut æquali. Addis: *Sed* Fol. 67.b
*eſto etiam viſceris inflammatio, an recte concludes etiam fluente aluo ſanguinem mittendum, niſi dicas cur, quando, & quomodo?* ipſum cur expoſitum tibi eſt à Botallo in diſtinctione cauſæ in qua mittēdum vtiliter putat ſanguinem in alui fluore. quando & quomodo explicantur in generalibus, mittendi ſanguinis præceptis. Præterea etiam docentur quantum fieri poteſt, ipſis exem plis ab eo propoſitis. Addo quòd cum curationem morborum nō ſcribat Botallus, eius inſtituto ſat eſt, ſi & rationibus & exē plis ſuis probet mitti poſſe vtiliter ſanguinem in aliquo alui fluxu, falſamq; eſſe eam vniuerſalem propoſitionem, qua id auxilij omnino reiicitur à curatione alui fluxionis. quod optimè ille præſtitit quicquid tu deblateres, & contra obloquaris. Denique neſcio quod grauè peccatum comminiſceris in eo quod Botallus cauſam red Fol. 67.b
dens, cur in alui fluxu à calida intemperie concitatò mittendus ſit ſanguis, dixit concitantem illam intemperiem comitē ſemper habere humoris affluxum, qui detractione ſanguinis repreſſus, deſinat ipſa in-

teſtina obſidere atque grauare. Hanc ſentẽtiam more quoque tuo exagitas, hoc eſt planè vano & futili argumento. Nam obii-
Fol. 68. cis febre hectica laborãtem, in quo etſi calida intemperies ſit, nullus tamen apparet humoris in hãc vel illam partem influxus. ſed longè alia hîc ratio eſt Villice. In hectica enim calida & ſicca intemperies vniuerſalis eſt ſinguláſque corporis partes æqualiter occupat, adeò vt ſuum quælibet humorem retineat, & abſumat: nec in aliam transfundat, aut transfundi, ſeu labi ſinat, niſi cũ morbi diuturnitate vires adeò proſternuntur & langueſcũt, vt fruſtrata tandem cibi cõcoctione & nutritione omnia per aluum profluãt. At calida intemperies alui fluxionem concitãs particularis eſt inteſtina aut proximas partes tantùm occupans, vt ipſe Botallus notat pag. 46. & 47. quare & ab aliis partibus tranſmiſſos humores accipit, ac etiã attrahit. Nullius itaque ponderis eſt hęc tua de hectica intemperiè obiectio, cum propoſitæ Botalli quęſtioni nullo modo conueniat. Nec hîc de-
Fol. 68. a finis: ineptius etiã cauillari pergis, inquiẽs: *Deinde quis te humorẽ in fluore alui per ſedem erumpen*

*erumpentem, venæ ſectionem euellere docuit?* Quæ verba tibi per ſedem erupiſſe videntur, adeò abſurda ſunt, & ab omni ratione aliena. Nam quod Botallus rectè dixit de humore qui ab hepate & venis confluit in ipſam inteſtinorum ſubſtantiam, eámque grauat illorum intemperiem conſeruat & auget, ita vt illa ſuo officio rectè fungi nequeant in attrahendo, retinendo, coquendo, tu ineptè & perperam traducis ad eum humorem, & reliqua excrementa quæ per inteſtinorum cauitatem per errantia per anum foras excluduntur. O ineptum ſi ita intelligis, ô improbum ſi ita non intelligis, ſed illi tantùm ad calumniã adſcribis? Pari imperitia & cõtumelia excipis quod addit in hanc ſententiã ratiocinando: ſi in fluente ſanguine è naribus, vtero, pulmone, ventriculo, hæmorrhoïdibus ſaltem ad reuellendum ſanguinis miſſio conceditur, cur eadem non concedatur erumpẽte ſanguine ex inteſtinorum venis apertis eorũ oſculis, vel à copia, vel ab acrimonia humoris. Sic verò tu ex maledicẽtiæ tuæ Dialectica reſpondes: *Tu ne in Dialecticis magiſter dialecticorum elementorum es adeò ignarus, vt pu-* Ibidem.

*tes iſtam concluſionem poſſe ſubſiſtere? Vide quò tua argumentatio recedat. Facultatis renum alteratricis & retentricis reſolutio ob vehementem ipſorum æſtum, immoderatũ vrinæ profluuium facit, quò potus nihil ferè mutatus apparet. Ergo vrinæ immoderatum profluuium venæ ſectione repellere oportet quid?* &c. In hoc incommodũ incideret Botallus, ſi ſanguinis miſſionem adhiberet ad reuellendum eum humorem, qui ex aſſumptis per os à vẽtriculo ad ſedem delabitur per inteſtinorum capacitatem, quemadmodum tu perperam interpretaris: huic enim humoris fluxioni Galenus ſimilem facit defluxũ ſeroſi humoris per renes in diabete, vt videre eſt cap.3.lib. 6.de locis affectis. Sed ipſe Botallus diſertè teſtatur, & ego ſupra te monui venę ſectionem adhiberi ad ſiſtendum & retinendum ſolummodo eum humorem qui per venas defluit ad inteſtinorũ corpus calida intemperiè tentatum: in quo ſæpe vel ſui copia, vel acrimonia apertis venarũ oſculis quæ in eo ſunt, aut eroſa inteſtinorum tunica in illorum capacitatem ſeſe effundit, & cum ſuperiore foras per ſedem propellitur. Idq́; docet exemplo ſanguinis fluentis è naribus, &c.

bus,&c. Par enim ratio eſt in vtroque: nam ſanguis ſeu humor in vtroque in partē aliquam confluit exítque è venis præter naturam adapertis. Denique cum Botallus venæ ſectionem commendet in alui fluore propter eius cauſam ſolummodo, non propter ſymptoma, vt tu comminiſceris, tu non potes aliud ex eo rectè concludere, quam mitti eadem ratione ſanguinē poſſe in diabete ſimiliter propter eius cauſam, nempe calidam renū intemperiem: quod ſi facias, nihil abſurdi ſequetur. Nam medici in eius curatione ſanguinem quoque mittunt, præſertim initio, ſed hæc tu præ imperitia non intelligens ineptè cōfudiſti, indéque ſophiſticum illud, & nugatorium tuum incommodum cōſtruxiſti, quo optimam Botalli ratiocinationem eludere te poſſe putaſti. Quare mihi videris cum Phi lota illo tuo ſophiſta (cuius exēplū ineptè admodum & incōmodè huc attuliſti) non argentea ſupellectile donandus, ſed ærea & culinaria ad ludibriū pulſata explodendus. Non ferēda enim eſt hæc tua inſolentia, qua Botallo tam ſæpe inſultas, illū ignoratæ Dialecticæ inſimulans, qua culpa ta-

men eum nunquam coarguere potueris: tu verò contra ea labe adeò fædatus appareas, vt mirari ſubeat impudentiam tuam, qui audeas illius criminis, vel minimam mentionem facere. Nam & hîc quoque in illud turpiſſime incurris: aggrediens enim ad explicationem differẽtiarum alui fluorum ſic ab ineptiſſima diuiſione exordiris.
Fol. 68. b *Fluor alui ſit vel alimẽtis iuſto celerius effluentibus, vel humoribus naturam ad frequẽtem excluſionẽ ſtimulantibus.* Cuius diuiſionis mẽbra tam parum inter ſe diſſident, vt vnum ab altero contineri, & cum illo cohærere poſſit: quo peccato nullum grauius in diuidendo committi poteſt. ſæpe enim fit, vt alimenta iuſto ſcelerius effluant propter humores qui naturam ad frequentem excluſionem extimulãt, quemadmodum fit in lienteria, cuius meminit Galenus Cõm. 1. in lib. 6. Aphoriſ. & tu quoque agnoſcis in enumeratione cauſarũ ipſius liẽteriæ. ſi ex vnguibus leonem, vt eſt in prouerbio, facile fuerit, cũ in ipſo limine tam grauiter lapſus ſis, de reliqua tua diſputatione iudicare: nam ad finem properantẽ non vacauit ſingula percurrere & examinare. Prius tamen

tamen quam hunc locum cõcludo, lubet obſeruare bellam tuam reſpõſionem qua eius enſtaſibus,ſeu exemplis occurris. *Eſto,* Fol.77.b inquis, *vt Polemachum Brixiacum moleſtiſſima vnius menſis dyſenteria venæ ſectione leuaueris, vt remedium* &c. *Quid tum poſtea, num propterea aluus fluens à venæ ſectione non auocabit? an in lienteria, cœliaca, aut diarrhæa quam ventriculi infirmitas, ob intẽperiem frigidam, aut humoris frigidi illapſum è capite inuexit ſãguinem mittes?* &c. Nec ſic euades Villice: Idem enim in te retorquere poteſt Botallus. Hoc modo. Nũ propterea quia in alui fluxu ab intẽperie frigida, aut humoris frigidi illapſu à capite ſanguinis miſſio non cõuenit, eadẽ nõ cõueniet in alui fluxione à calida intẽperie & defluxione calidi humoris è venis ad ipſa inteſtina prouenien te? Quare nullius planè momenti eſt obiectio tua cum præſertim ille non doceat ſecandam eſſe venam in omni alui fluxione, vt de eo nobis perſuadere conaris. Sed in illa tantum cuius diſtinctionem & cauſas tradidit. In diſputatione de exenthematis, & ſi nihil habes, quod contradicas, aliquid tamen more tuo obloqueris. Primum ob-

iicis dictum ab illo eſſe à cauſa morbi ſuppeditari : ſed illic librarij culpa eſt perſpicua, qui ſuppeditari ſcripſit pro ſuperari. Deinde quaſi totius medicorum ordinis dignitatem humeris tuis ſuſtentes, vt Athlas cœlum, id vnum tibi moleſtum eſſe dicis, quod poſteritatem iniquius de huius ſæculi medicis ſentire Botallus velit, falſo aiens venæ ſectionem ab illis damnari in exanthematis. Quare æquiſſimos & rectiſſimos iudices non defuturos ſperas *qui*, inquis, *de noſtri ordinis dignitate aduerſus iſtas calumnias tuenda aliquando laborent.*

Fol. 79 a.

Sed quia illa à Botallo conficta eſſe dicis, quemadmodum ea quæ de Stimargi Ancilla antea commemorata fuerant, idem hîc tibi reſpondeo quod illic tibi reſponſum fuit. Interim tamen monitum benignum lectorem volo tantum hîc ſcriptum à Botallo eſſe malè mereri de ægrotis eos medicos qui ſanguinis miſſionem penitus reiiciunt à remediis, quæ efficaciam habere iudicantur in exanthematis, & eorum ſymptomatis, vt videat quã bellè ex muſca elephãtem faciat medicorum Villicus. quis vero eſt qui illis Botalli verbis meritò

offendi

offendi poſſit? Deinde ineptè quidpiam tecum garris de duabus occupationibus quib⁹ ille reſpõdet iis quæ obiici ab aliquo poſſent aduerſum eius diſputationẽ: Nam nec quid Botallus, nec quid ipſemet illic, dicas bene intelligis, vt videre poteſt is qui vtriuſq; ſcripta conferet. Ab iis autem quæ diſſeris de venæ ſectione adhibenda aut omittenda in exanthematũ curatione, abſtinere debebas, cũ ille prius ea explicuiſſet & melius & copioſius deſumpta indicatione à morbi moribus, à febris & ſymptomatũ (quæ illic enumerat) remiſſione, aut contumacia. Sed tu veluti totius orbis mecorum promus & condus, ſummúſq; ex mandato procurator inquis. *Quum dicimus* (nos medici ſcilicet) *venæ ſectione materiam intro reuocari, quũ natura foras expellere cœpit, id in eũ ſenſum accipi volumus, vt eo ſolũ tempore quo omne malum iam euaſit in habitũ corporis venæ ſectione abſtineamus, nec ſemper, ſed cum ſeipſa contenta eſſe videtur natura ad mali depulſionem.* Sed hoc ô noſter procurator quod de natura ſcribis adeo eſt notum, & perſpicuũ vt admoneri nõ eſſet opus. Medicinæ verò ſtudioſi à veſtra procuratoria Fol. .b79

autoritate ſigna quærũt, quibus dignoſcatur ſit ne natura ſeipſa contenta & planè αὐτάρκης ad depellendum morbum vt ſciant tunc abſtinendum eſſe à venæ ſectione. At tu cum nulla proferas, permittere ſaltem debes, vt ea à Botallo illi ediſcãt. Ridiculũ vero eſt quod ad finem addis: Nam quaſi hic aliquid docueris præter ea quæ à Botallo exſcripſiſti, quod teſtimonio alicuius
Fol.80.a auctoris comprobandũ ſit, inquis, *Vt tamen auctorem nullũ tibi proponi conquerare quo duce vtaris vide ſis Auicennam* &c. Interim vero ipſe grauiter cõquereris quod exanthematum curandi rationem à Botallo propoſitam hactenus inuenire apud Galenũ non potueris. *Quanquam ſcribas*, inquis, *haberi in*
pag.67. *comm. Aphor. 9. lib. 6*. At ſi ſanus eſſes legiſſes apud Botallum mẽtionẽ fieri non aphoriſmi. aut libri, ſed explicationis horũ verborũ Hippocr. Lata exãthemata nõ admodũ pruriunt, ea vero inuenies ſect. 2. lib. 6. epid. 3. Hoc moneo te Villice, vt queri & querere deſinas & à fonte haurias, quæ nos à riuulis petere iubes. His ſubiicis diſputationem de venę ſectione in deprauata aut debilitata viſione nõ adhibenda: qua de re tibi ſupra reſpondi in quæſtione de hydro-

pe. Subnectis prolixã digreſſionem de podagra, capta tantum occaſione (nam nihil hîc de ea Botallus ſcribit) ex eo quod ille, vt tu aſſeris, eum morbum in illuſtriſſimo Franciæ Cãcellario curet ſępe repetita ſanguinis miſſione. At mei non eſt otij nec inſtituti te quaquauerſum excurrẽtem perſequi. Propoſitum enim hîc tantum mihi eſt Botalli libellũ à maledicẽtia tua quam breuiſſimè potero tueri: in quo cum nihil hac de re ſcriptum inueniam verboſam illam tuam diſceptationem tacitò pede prętéribo. Tãtum monebo te videri mihi non inurbanè tantum, ſed etiam petulanter abs te factum eſſe, qui eam curationem cuius cõditiones & circũſtantias omnes neſcias, examinare & reprehendere etiã publico ſcripto auſus ſis, & (quod præterea impudens eſt) conſilium ea in rę tuum vltrò & fortè etiam inuito ingerere non ſis veritus: vt liceat hîc cum Melicerta exclamare pe riiſſe frontẽ de rebus. Non diſſimilis culpæ ſupra te monui cum improbares ſanguinis miſſionem, qua idem ille ampliſſimus vir vtebatur, cum febribus grauiter affligeretur. Nam, vt quod illic dixi, hîc paucis & obiter

obiter repetam,eúmne adeò imprudẽtem dicere audes, vt eo auxilio tandiu & facilè vtatur,niſi & grauius & ſæpius ſe affligi podagra ſentiat cum venæ ſectione abſtinet, quam dum illam vſurpat? Audio enim id illum palàm & publicè profiteri:ita vt nulla cauſa ſit,cur ſibi Botallus timere debeat ab inſidiis quas eius nomini paras,dum iniquè ſimul & impudenter illi cominaris fu-
Fol. 90.a turum,vt cũ tu, ſcilicet, ( cui eius curandi viam melius perſpectã eſſe indicas)frequẽtioris in morbum relapſus cauſam cõferes in ſanguinis miſſionẽ, in vnum Botallum hæc faba cudatur.Quin ea iam abs te magno conatu cuditur & interitur, quod vt diligenter facias moneo:nam tibi exedenda erit.dedecus enim quod Botallo inferre niteris in teipſum recidet,cum iniquiſſimæ calumniæ peruerſæque imperitiæ te reum agent ij,qui contra ſe rem habere intellexerunt,cum à familiaribus tum ab ore ipſius illuſtriſſimi Biragi, cui etiam meritò ſordebit conſilium hac in re tuum præſertim vltroneũ, & curationi quam longo & fœlici vſu exploratam habet, penitus contrarium.Porrò ſi licet tibi eam curationem

exper

experientia tua impugnare, qua ais te *ſæpe didiciſſe frequẽtem ſanguinis detractionem arthriticos præſenti quidem moleſtia liberare, ſed maioris poſtea in morbũ procliuitatis occaſionem eſſe.* Cur cum in ſeipſo longè aliter accidere, quàm tu noris, ampliſſimus & ſapientiſſimus ille vir experiatur, plus rationib⁹ tuis quàm Botalli conſilio, & propriæ experiẽtiæ tribuet? quanquam quæ ſunt hę tuæ rationes? opponis ſenium, in quo frequẽs ſanguinis miſſio vires, vt inquis, caloris minuit, calore verò imminuto pro laudabili ſanguine, ſeroſum natura gignit, qui deinde morbũ adauget. quid ſi ſanguis ſua copia aut vitio, aut vtroque ſimul iũcto calorem natiuũ opprimat, aut alio quouis modò lædat, ita vt partes non nutriat, ſed grauet & affligat, dicéſne moderatam ſanguinis miſſionem, qua eius parte euacuata, natura ſubleuatur, locuſq; fit puriori ſanguini ſubeunti, nocuiſſe, calorem imminuiſſe ſanguinẽ ex laudabili ſeroſum reddidiſſe? Nec eſt quod hîc nobis Fernelij obiicias authoritatẽ, quam veneramur quidem, ſed non magis quam Galeni & Hippocratis, quibus cõtradicere non veremur vbi ratio

& expe

Fol. 87. a

Fol. 87.

& experientia ſuadent & vrgẽt. Quamplurimis exẽplis probauit tibi Botallus in homine ſeptugenario, niſi aliud quid prohibeat, frequenter mitti poſſe ſanguinẽ nullo incommodo, imò maxima cum vtilitate in morbis, qui illud remedium poſtulant. Ad ea tu nihil cum ratione reſpondes, ais
Fol.93.b tantum : *nihil morantur me cætera exẽpla quæ tu adducis, quibus tãtũ ineſt fidei, quãta tua eſſe poteſt authoritas*. At ſi nihil moueris Villice exẽplis & authoritate Botalli, Medici longo vſu & experientia veſtris optimatibus & principib⁹ probatiſſimi, qui nomina tibi recenſet eorũ quos ipſe curauit, tũ in Aula, tũ Lutetię, hiſtoriáſq; curationũ deſcribit, cur vis cradamus experientiæ tuæ, qua ais te didiciſſe ſanguis miſſionẽ arthriticis nocere? qui ſunt iſti in quibus id obſeruaſti? quomodo? quoties? cum nihil horum nobis explices, audiamúſque te parum frequentem aut nullum in ægrorum curationibus, veriſimile nobis fit confictum eſſe quicquid experientia tua iactabundus illic nobis occinuiſti. Satius itaq; eſſe exiſtimamus Hippocratis & Galeni ſentẽtiam cõplecti: qui in podagra tam præcaueđa quã

curanda

curanda venam ſecari iubent. Sed longius excurrit oratio mea quàm inſtituerã : eius itaq; vela contraham téq; de podagra longum garriẽtem relinquam. Ad ſermonem tuú de quartana venio, q. breuis eſt, vt qui nihil ferè cõtineat præter duo inſignia tua mẽdacia. Primo enim ita de ea dicere exordiris, quaſi Botallus velit in omni quartana ſanguinẽ mitti: nam id non ſcribit : imò ab eo remedio aperte excludit eas quartanas in quibus vires non conſtãt, quales ferè ſunt hæ, quę aliis morbis ſuccedunt, qui vires vt, inquit, exhauſerint. Alterũ eſt cú ſcribis eum dicere non redundantiam, ſed impuritatem ad ſanguinis miſſionẽ adhortari : quod falſum eſt. Nam ille tantum reprehendit eos qui mitti ſanguinem volunt ob redundantiam ſolam. Sic enim ſcribit.

De quartana.

Fol. 94. a

Pag. 77. Fol. 94. a

" Cur in homine in quo non redundãtia, ſed impuritas adſit non debet mitti, cum iam ab eo (Galeno) dictum ſit, & iure quidem optimo impurum ſanguinem ad corporis nutritionẽ eſſe inutilem? idonea igitur erit & initio, & poſt & in ſanguinis copia & in huius vitio, modo adſit cubantis viriũ conſtantia &c. ex quibus verbis mendacium

tuum

tuum apertiſſimè patet. A quartana in tabem & hecticam incidis, in quibus multo longior es, ſed non melior;nam hîc quoq; ex tua falſitatum Dialectica maledicentiæ
Fol.94.b tuæ virus in Botallum multifariã eiacularis. Illũ abuti inquis nomine tabis & hecticæ, nec tamẽ quomodo abutatur, indicas: tantum paulo poſt ſcribis in hũc modum.
Fol 95. a *Quoniam vero his nominibus ſummam corporis maciem deſignare mihi in primis videris (alioqui quantum in exemplis propoſitis deceptus ſis, cõſidera, qui vbique ferè vel impuritatis incredibilis, vel vehementis fluoris alui meminiſti: quorum illud in tabe & hectica abſque febris putridæ cõplicatione, hoc citra ſalutis deſperatianem ineſſe nequit) quo iure ſanguinis miſſionem admittere poſsit, primum expendemus.* Trium hîc erratorum Botallũ inſimulas. Primũ quòd tabis & hecticę nomine ſummam corporis maciem intelligat: Deindè quod hecticæ remediũ accõmodet, quod putridæ febri cum illa cõplicatæ tantũ accommodãdum fuerat. Tertiò quod tabem & hecticã omnino deploratos morbos, vtpote alui fluori coniunctos, in exemplis ſe venæ ſectione curaſſe ſcribat. At hîc quoq; imperitus

imperitus es & temerator. Nã quod ad primũ attinet, falſum eſt illum ea nomina ita cõfundere, vt ꝓ macie ſumma vtraq; vſurpet, vt videre eſt in exẽplis, quorũ quędam ſunt tabis & atrophiæ, alia verò febris hecticæ propria. Deinde ita ſit, tabem pro extrema extenuatione & macie acceperit, id Hippocratis exẽplo fecerit, qui vt teſtatur Galen.comm.2.in 1.Epid.13.quomodolibet corpore extenuatos emaciatosq; vocare tabidos conſueuit, non ſolùm eos qui ob pulmonis vlcerationem tabeſcunt. In ſecũdo fruſtra putridę febris cõplicationem obiicis: nam vt eam tibi conceſſerim, tamen ſi ſanguinis miſſione ſublatus eſt vterq; morbus, vt exempla teſtantur, nempe tabes aut hectica cũ putri febre, neceſſariò ſequetur impuritatem illam ſanguinis in venis deliteſcentem, quæ venæ ſectione ſublata eſt, præter febrẽ putridam, quam genuerat, in tabe quidẽ cauſam fuiſſe quominus probũ alimentũ ad partes accederet vnde ali poſſent, ex quo neceſſariò extenuabãtur: in hectica verò febrilem calorem in ſolidis partibus incendiſſe aut incenſum cõtinuò fouiſſe, proptereaq; ſanguinis miſſionẽ quæ

impuritatem illam ſuſtulit non ſolum putridæ febris cõplicatæ, ſed etiam ipſius hecticæ aut tabis, quæ eodem tenore curatæ fuerunt, accommodatiſſimum fuiſſe remedium. In tertia reprehẽſione planè cauillator es & ineptus ſophiſta: alui enim fluor lethalis eſt in tabe & hectica, ſiquidem ipſius morbi cauſa ſuperuenerit. Sed alui fluor, quem Botallus in exemplis commemorat, nõ ſuperuenit morbo iam facto, nec ipſius morbi cauſa: imò contra alui fluor ſimul cũ febre cauſa fuit tabis. Quare amota per venę ſectionem cauſa febris & alui fluoris, & tabem quoque, quæ à bilis originẽ ducebat, tolli fuit neceſſe. Prima itaq; hęc maledicentiæ tuæ, velitatio prorſus infœlix & inanis extitit. Videamus quam viriliter dimices aduerſus exẽpla. Ad ea enim ſigillatim redarguenda te comparas initio ducto ab eo qui apud Hippocratẽ in Oeniadis tabeſcebat, & conſumebatur: ſed ſtatim malignitatis tuæ venenũ aſpergis. Nam verba quæ ex eius libelli pag. 84. adducis, ipſe ante exempla, quæ mox propoſiturus eſt, ita præfatur, vt ea ipſis exemplis ſe cõprobare

velle

velle indicet. Tu verò illa dolo malo interponis Oeniadici illius hiſtoriæ, ſignificasq́; Botallum ex ea hiſtoria inſtituiſſe docere mittēdum eſſe ſanguinem in tabe & hectica, tanquā neſciret eos morbos inter ſe plurimum differre, & illam hiſtoriam tantum ad alteram partem nēpe tabem pertinere. Sed nec hîc Botalli innocentiæ deerit benignus lector, q̄ te cū tuis hiſce technis & mēdaciis in malā rem abire iubeat. Quanquam nō alienum fortè ſit exiſtimare eum Oeniadicum febre quoque hectica laboraſſe: ſed cum id Hippocrates nō exprimat, ſatis nobis eſſe debet hoc loco ex eo tabis curatæ exemplum petere. Quid verò ad illud reſpondes? quoniam Botallus etiā alibi eo vſus eſt, tu qui vndique rixādi aliquam occaſionem quæris, id illi vitio vertis inquiens: *Vſqueadeo nō rationū modo, ſed etiam exemplorum penuria laboras, vt te idem exemplum in re diſsimili adhibere neceſſe ſit.* Idem quidem exēplum eſt, Villice, ſed diſſimiles affectus continet, ventris, inquā, dolores & tabem: vt propterea in re diſſimili adhiberi rectè poſſit. Suprà in ventris dolore eo vſus eſt, quid impedit quominus tabis ratione Fol. 95. a

illud in hunc locū adducat? Adeóne Hippocratis hiſtorias faſtidis, vt eandem bis tibi proponi ferre nequeas in occaſione diuerſa? inopia exemplorum id fieri obiicis: malè, cum alia plurima in eandem rem ibi adferri videas. At tu aptioris obiectiōis penuria hac exēpli vim tibi viſum eſt eludere: tamē hîc neſcio quid ex garrulitatis tuę

Fol.95.b penu depromis, negáſque in illo Oeniadico miſſum eſſe ſanguinem ratione cōſumptionis totius corporis, quoniā qui ab inanitione fiūt morbi repletione curātur, non euacuatione. Nugę: Nam præter quā quod hoc nihil ad Botallum pertinet, cùm nō dixerit miſſum eſſe ſanguinē ſolum ratione tabis, ſed in tabe ſeu in tabis curatione, ratio etiā falſa eſt. Nam ſi cōſumptio illa erat ab inanitione, vt tu aſſeris, quomodo inſigni euacuatione curata eſt? vena ipſi ſecta
" eſt, inquit Hippoc. in vtraque manu donec
" exāguis redderetur, poſtea vtilitatem per-
" cepit, & à malo liberatus eſt. Ipſa verò conſumptio inanitio quædā eſt nō ſuccedente æquali nutrimento ei ſubſtantiæ, quę continua caloris noſtri actione è partibus diſſipatur. At eius in Oeniadico cauſa præter

intem

intemperiem calidã fuit vitioſus humor venas obſidẽs, qui bonum ſanguinẽ corrumpebat ac gigni prohibebat: eius humoris euacuandi gratia dices miſſum eſſe ſanguinem: fateor, Villice: ſed eiuſmodi vacuatio númne inſtituta fuit ab Hippocrate, vt tollerẽtur nocumẽta quæ ab eo humore corpori inferebãtur? E quorũ numerorũ cum eſſet illa conſumptio, nulla ratione negaſti etiã propter ipſam mitti potuiſſe in eo ſanguinem. Dicet aliquis euacuationem primo, & per ſe deberi humori, qui ſua copia vel vitio naturę negotium faceſſit, nõ affectibus qui ab illo veluti cauſa depẽdent: & hoc non inuitus tibi concedo: ſed nolo te eos affectus ab euacuãdi ſcopis ita reiicere, vt nullam in euacuando eorũ rationem à medicis habendam eſſe dicas: Nam ſecũdariò ſaltẽ illis euacuatio conuenit. Et ferè fit vt eorum moleſtia medicos ad eorũ cauſam inueſtigandam & euacuandam maximè inuitet. Perperam itaque & incõſiderate ita ſcribis: *Equidem ſi conſumptionis totius corporis habenda fuit ratio omnino inepta fuit ſanguinis miſsio, ſiquidem qui à repletione morbi*, &c. Sed demũ veritati aſſentiris, in Fol. 95.

Botalliciq; libelli lectione aliquid te profeciſſe oſtendis in hunc modum ſcribens:

Ibidem. *Verùm quoniam vix vnquam exareſcit & abſumitur corpus, quin viſcera hepar, præſertim & lien præter quàm quod intemperiem vehementem concepere, multa quoque bilioſorū humorum colluuie ſcateant, quod animaduertiſſe ſe teſtatur Hippocrates, cùm ait ægrum hunc ex cibo opem nullam ſenſiſſe, atque per aluum huic deſcendiſſe excremētum plurimum prauum & retorridum, hunc ſanguine miſſo morbū euaſiſſe non miror.* Quorum verborum te meminiſſe velim, cum in reliquis huius negotij exēplis, tum in diſputatione quæ proximè ſequetur de cacochymia: nam aliquid tibi adiumenti adferent ad intelligēdum quomodo in illa venæ ſectio conferat. In muliere tabeſcente, quàm Galen. ſæpe & copioſè ſanguine miſſo curauit, diſtinctione opus eſſe eamq; nolle te hoc loco Botallum celare ſcribis. Expecto iam archanū quidpiam quod nūc demum nobis aperire decreueris: *Sanguis,*

Fol. 69.2 inquis, *vitioſus eſt vel mixtione alienæ materiæ, vel ſuppreſſione ipſa, vel collectione, vel generatione, vt cùm in viſcere praua quædam latet diatheſis.* Heccine eſt illa diſtinctio cuius

tam

tam egregiam ſpem nobis feciſti? At præſtabat eam celare Villice, cùm nihil doceat præter ſummam tuam imperitiam non rei Medicæ tãtum, ſed etiam dialecticæ. Si verò in quopiam turpe eſt in Dialectica labi, & peccare in te turpiſſimum exiſtimari debet, qui paſſim eius præcepta tradis, & aduerſus Botallum in illa ſummũ magiſtrum & Ariſtarchum agis. At ſæpe & grauiter te in ea offendiſſe demonſtratum eſt à nobis antea, & hîc etiam manifeſtiſſimê apparebit iis, qui diuiſionem, quam hoc loco nobis proponis, perpendent & examinabunt. Meminiſſe autem debes, Villice, eius præcepti de diuidẽdi ratione, quod ex Dialecticis initio libelli tui attuliſti. Eo iubetur Fol.16.a
vt in diuiſione pars nulla prætermittatur, nulla etiam fruſtra percenſeatur. Vtroque modo diuiſio hæc tua vitioſa eſt: nam inter cauſas, modos, ſeu rationes, quibus vitioſus ſanguis euadit, enumeras collectionẽ, quæ vel nihil ad rẽ facit, vel ad ſuppreſſionem ſequitur: ad eámq; reuocãda eſt. Cõmutationẽ verò eam quæ in qualitatibus fit ab externis cauſis, & frequentiſſima eſt, vt & eã quæ fit ob venenatam aëris, aut al-

terius corporis nobis occurrẽtem qualitatem omnino prætermittis. Ex hac tam artificioſa vitioſi ſanguinis diſtinctione cauſam eruis eius, qui in ea muliere peccabat, inquiens: *Qui ex muliere illa eductus eſt ſanguis, tum ſuppreſsione, tum collectione nõ autem perenni generatione in vitio fuit.* Suppreſſio perſpicuè apparet ex Gal. hiſtoria, vt nec nos egeremus hîc tua ſapientia, nec te laborare oporteret in inueſtigatione eius rei, quæ manifeſta erat. Addis collectionẽ omnino fruſtrà: illa enim ſuppreſſione ipſa cõprehenditur & intelligitur, nam ſuppreſſo eo ſanguine, qui per vterum expellendus erat, neceſſario eum alicubi colligi oportuit, in venis ſcilicet, è quibus deinde eductus eſt. Preterea quod vitium facit illa collectio? Addis etiam non fuiſſe eũ ſanguinẽ in vitio perenni generatione. At quorſum id? ſi enim intelligis his verbis non fuiſſe vitioſum à prima ſui generatione, ſed vitiũ contraxiſſe in venis, quid erat opus dicere, perenni? ſi ea refers ad vitium in venis cõtractum, & (vt ita dicam) genitum, cur perennem ſeu cõtinuam eius generationem eſſe negas? nam ſi continua eius mora, aut

collectio

collectio in venis fuit,cur etiam vt ſenſim, ita & continuò eius vitium auctũ non fuerit? Vides quam perẽni hac tua garrulitate longam ineptiarum Iliadem cõtexas. Nec hîc ſubſiſtis:grauius etiam ineptire pergis. ſic enim ſermonẽ tuum perſequeris: *Nam illi per octo menſes menſtrua purgatio ſuppreſſa fuerat,quo tempore eò malitiæ deuenerat, vt natura mallet ſuo defraudari genio quam ipſo ad nutritionẽ partium vti.liquidæ enim pici & colore & craßitudine ſimilem ſecta vena deprehẽdit Gal.In venas autem & habitum corporis refuderat & relegauerat ſanguinẽ, quo partes frui nolebat,ne morbos aut in vtero, aut ab vtero cõmitteret.* Videris hîc loqui non de partium humani corporis natura, ſed de homine aliquo nunc indignante, nunc ratiocinante rebúſque ſuis prouidẽte:eam enim volentem, nolentẽ, ſuum geniũ fraudãtem, aliquidq; facientẽ, vt hoc euitet,& illud cõſequatur, inducis.quæ omnia naturæ partiũ noſtri corporis quę nobis cum ſtirpibus eſt communis proptereáque volũtatis, rationis, intelligentiæq; minime particeps, tribuere eſt ſummæ imperitiæ & ineptiæ. In hunc te errorem induxit, quod legeris ali- Fol.96.b

cubi appellari naturam à Galeno pruden-
tiſſimam,iuſtiſſimam,ſapientiſsimam. Sed
eam quam ſic ille vocat, alibi ſcribit eſſe
mentem per omnia penetrantem,quæ alia
eſt à natura ea, quæ partibus noſtri corpo-
ris eſt inſita. Sed fortè niteris Hippocratis
loco,qui ad eſt fin.lib.7.Epid. vbi ſic ille lo
quitur:Leonidę filiæ natura cõcitata auer-
ſa eſt,auerſa in iram excanduit, vbi ira ex-
cãduit,recõciliata eſt.Sed addit: Medicus
non intellexit,puella mortua eſt. Dato ita-
que operam vt intelligas, & poſt hac de na
tura melius loquitor. Ad reliqua exempla
propero, quibus reſpondes quoque more
tuo,id eſt planè villatico & inurbano. Pri-
mùm,quia longè, nẽpe ab ipſis vſque Mo-
rinis petitũ, falſum eſſe aſſeris:ſic enim te
facile eo expedis:etſi duo quæ ſequuntur,
ſimilia, nec magis incredibilia ſint: tamen
quia fortè tibi nota ſunt,negare nõ audes:
ſed putas te ab eorum vi tueri poſſe,ſi dixe
ris cauſam eorum morborum explicatam
à te fuiſſe in tuis alui fluoris diſtinctioni-
bus:ſed hoc nihil eſt: nam etſi cauſæ illius
tabis, ſanguinis miſsionem conueniſſe in-
telligamus, non propterea tamen efficies
eandem

eandem nõ accommodatum fuiſſe remedium illi tabi curandæ,quando illius cauſa ſublata ipſa quoque ſublata eſt. Eadem arte reſpõdes reliquo & vltimo exẽplo:nam reddis cauſam cur ei morbo venæ ſectio proderit:ſed ea cauſa nõ impedit obſeruationem curatæ ſanguinis miſſione hecticæ à febri ardente relictæ : vt in ſuperiore diximus. At nec hîc mordendi occaſiunculã prætermittis, vtpote qui auro ſingulas etiã leuiſſimas empturus videaris.In eo exẽplo ſcripſit Botallus amici illius, de quo hiſtoria eſt,nomẽ iuſta de cauſa ſibi ſubticendũ fuiſſe:tu illicò ex cõuitiorum tuorum ſentina cõfingis id illũ feciſſe. *Fortaſſe*,inquis, Fol.97.b *ne quum nomen ſuum hîc legi animaduertiſſet, ſi rem aliter,quam tu narraret de tua exiſtimatione aliquid detraheretur.* Quæ verba apud æquos rerũ æſtimatores, & eos quibus Botalli virtus perſpecta eſt, tibi potius petulantiſſimæ procacitatis, quam illi malæ fidei notã inurent.Demum improbas quod Botallus aſſerit in hecticis febribus putredinem aliquam eſſe,etſi non ita euidẽtem, quemadmodum in iis quæ putridæ appellantur:nullam tamen rationem contra adfers:

Fol.98.b fers:ais tantum ægrorum ſomniis id eſſe ſimillimum, nec reſpõſione opus habere, & ita ſine ratione abis. quare & ego abeũtem te ſine reſponſo dimittam. Præſertim cum Botallus ipſe ea de quæſtione ſe aliâs dictu rũ illic polliceatur. Poſthæc ad Galeni laudes diuertis: ſed in illis te frigidum & ęquè ineptũ ac in Botalli inſectatione oſtendis, vt qui præ ingenij inopia eas tantum ex ipſius ore colligas. Bene itaque illi eſt quod te laudatore non egeat, per ſe ſatis apud omnes laudatus & commẽdatus. Botalli autẽ criminatio quam ad encomij tui finem corollarij inſtar addis vieta eſt admodú & vetuſtate putris, vtpote millies alibi à te inculcata, & propterea per ſe ſatis cõtemptibilis: ita vt non neceſſe ſit de ea tibi amplius reſpõdere. Hinc ſubitò te proripis ad ſuppetias ferendas garrulæ & imaginariæ tuæ medicinæ maximè periclitãti ex Hippocratis loco quẽ Botallus adduxit de peritorum medicorũ facultate, quam illi iucundius opere, quam verbis demonſtrant: reſiſtíſq; Botallo colligenti ex eo loco pręcipuas eas eſſe in medicina demonſtrationes, quæ vſu & experimentis confirmãtur: nullis

nullis enim ſermonibus grauius irritaris, atque his qui de vſus & experientiæ præſtantia, & ad medendum neceſſitate habẽtur. Fauit tibi fortuna quod Io. Gorræus eũ Hippocratis locum paulò aliter verterit: alioqui perieras. Ad nihilominus periiſti, Villice: nam Gorræi interpretatio (quod pace dixerim eius, viri alioqui doctiſſimi) non ita cõuenire hoc loco videtur Hippocratis verbis, ac Cornarij verſio qua vſus eſt Botallus, vt intuenti & conferẽti facilè apparebit. Præterea ſi ſententiã, quam Gorræus exprimit, ſpectes, nulla eſt ratio cur Hippocrates dixerit Medicos peritos ſuam facultatẽ potius operibus, quam verbis demonſtrare, quoniã vulgus illis magis quàm his perſuadeatur. Quid? ſapiẽtiores qui vulgi opinionibus nõ ducũtur, verbis ne potius quàm operibus & experientia perſuaſos iri putauit? hoc enim ex eius oratione ſequetur, ſi ex Gorræi præſcripto locutus fuerit, at hoc eſt abſurdum. nam vt illi non ignorant nihil eſſe tam incredibile, vt dixit Cicero, quod dicendo non fiat probabile, ita certò ſciunt quod ſcribit Galenus certiſſimam omnium iudicatricem eſſe experiẽtiam,

tiam,quam,inquit, qui relinquunt,atque aliunde ratiocinãtur,falſa pro veris ducũt: quare ſubſidium illud tuum ex Gorræo eſt admodum friuolum & infirmum, & proptèrea manebit vera & integra Botalli ſententia, qua ſtatuit præcipuas eſſe in Medicinæ demõſtrationes,quę vſu & experientia confirmantur: quod qui negant, rectè Galenus ad inſanię extremum & vltrà peruenisse arbitratur lib. 2. de ſymp. medic fac. Tandem veluti coactus vſui & exercitationi aliquid tribuis. Sed ne Botallus aut alius quis aliquid ſua experiẽtia ſe inuenire poſſe exiſtimet,quòd ea arte,quę tuis libris deſcripta eſt,nõ cõtineatur, aut ei aliqua ex parte repugnet, experientiæ compedes iniicis: *Artem* inquiẽs *vſum,& exercitationem deſiderare concedo ea tamen cõditione,vt eorum quæ artis præceptis continentur prima habeatur ratio,exemplorum autem obſeruatio eatenus adhibeatur, quatenus ad cõfirmationem eorum quæ in arte traduntur cõducere poſſunt,vt docet Gal.Comm.3.in lib.1.Epidem.* Sed hunc locum dum recognoſcerem aliter loquentem illic Galenum animaduerti,nam cõditiones iſtas quas veluti limites exem-

plorum

plorum obſeruationibus cōſtituendas cōminiſceris, omnino prætermittit: abſurdæ enim ſunt, & veritati inquiſitioni penitùs contrariæ. Dic amabo, ſi inter experiūdum accidat, quemadmodum accidere plærunque ſolet, vt aliquid cognoſcas qud nō ſolùm artis aut artificum præcepta non confirmet, ſed ea potius euertat, aut ſaltē cum diſtinctione aliqua tantum accipienda eſſe doceat, num obſeruationē illam tuam tanquam inutilem reiiciēdam eſſe iudicabis? Mneſitheus Atheniēſis medicus, qui vt teſtatur Galen. initio lib.1.ad Glauc. Hippocratis ſcripta accuratè legerat, erátq; tum in aliis quę ad artem pertinent, ſufficienter doctus, tum qua via ac rationem edendi ſciētiam oporteat exercere, nemini peritia ſecundus, in opere de alimentis præcepta tradiderat, quę idem Galen.cap.61.lib.2.de facult.alim.vera eſſe optat, quoniam ſi vera ſint, multa paucis verbis doceant: at eorum quædam verbis quidē probabilia eſſe teſtatur, ſed quę experientia falſa eſſe conuincantur. In eum itaque finem (vt alibi paſſim ſignificat) experientiā adhibendam eſſe Gal. cenſet, non tantum vt quæ tradita

in

in arte ſunt confirmentur:ſed etiam vt eorum veritas exploretur, falſitas autem coarguatur aut tandem ad artem aliqua fiat acceſſio. Si qua verò in arte maximè in medicina id locum habet, quæ coniecturalis eſt, & circa ſingularia verſatur: Ex quo fit vt pręcepta ad eã faciẽdã pertinẽtia ſi vniuerſaliter accipiãtur, ſæpe fallacia eſſe deprehendantur. id docet Botallus exẽplo illius Hippocratici Aphoriſmi lac dare caput dolentibus, &c. quam ſententiãſi adeò vniuerſalem eſſe putes, vt nunquam liceat ab ea ſine errore diſcedere maximè falleris: Nam ipſe Hippocrates (inquit) in iiſdẽ affectibus in quibus lac dandũ eſſe prohibuit, eo vſus eſt. Eò verò id monet, vt idẽ intelligatur de venæ ſectione, quã ſi in aliquo morbi genere aliqua ætate, vel anni tẽpore ſummi artis medicæ dictatores Hippocrat. & Galenus non adhibeant, aut non adhibẽdam cenſeant, id non ita mordicus tenẽdum eſt, quemadmodum à multis fit, vt non liceat aliquando in iiſdem ſanguinem mittere diligenti adhibita cautione, quam ex aliis ipſorũ pręceptis, vel artis vſu & experientia didiceris. Hîc tu illi maledicis

Aphoriſ. 64. lib. 5.

cis, quaſi neſcierit in quem finem Hippocrat. lac in illis affectibus exhibuerit. Indéque tu tanq̃ ſummus prçceptor id illũ docere aggrederis prolixa, more tuo, digreſſione de lacte eiúſque vario in morbis vſu. Sed quorſum hæc tãdem, Villice, cum hoc loco propoſita non ſit ea de re diſputatio, ſed tantum pro exemplo eam de lacte ſententiam in medium Botallus adduxerit, vt id, quod ſuprà monui te, doceret? At vt legitimam diſputãdi rationem ſequereris te opponere oportebat nunquam Hippocratem illi priori ſententiæ repugnaſſe, nec in iis morbis lac vnquã exhibuiſſe: hac enim ſola ratione Botalli ſentẽtiam & exẽplum refellere poteras, ſiquidem illa poterant refelli. Sed rerum intelligentiam præ imperitia nõ aſſequeris, & ſat eſt tibi ſi chartas impleas, diémque maledicendo conteras. In ſequenti exemplo de cacochymia nõ melius diſputas: tamen breuitas tibi in eo placuit: etſi diligentiorem & longiorẽ diſquiſitionem ferre poterat, quam ſuperius, vtpote quod præter exẽpli vim ipſa quoque ſubiecta materia inſtituto de ſanguinis miſſione optimè conueniat. Breuitatis cauſa

cauſa fuit quod ad Botalli obiectiones ex Galeno & Rhaſi, qui in cacochymia ſanguinẽ miſerunt, nihil tibi ſuppeteret quod reſponderes, præter vulgarem illam diſtinctionem qua aſſeris plethoræ per ſe cacochymiæ verò per accidens ſanguinis miſſionẽ cõpetere, *vt libertate,* inquis, *meatibus corporis cõparata vitioſi humores tum medicamento trahenti, tum naturæ expellenti obſequentiores ſint:* ergo iudicio tuo in cacochymia eo tantum adhibetur venæ ſectio, vt obſtructiones tollantur, nõ vt vlla vitioſi humoris pars euacuetur. rationem reddis
Fo.106.a quæ ſequitur: *licet enim dum hac præſente vena ſecatur omnes humores æquabiliter prodeant, & eadem quæ ante fuit reſtet humorum proportio. quoniam tamẽ detracta oneris portione, quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, ſed multò alacriores plærunque euadunt, quod reliquum eſt facilius ferunt, minoréque negotio domant atque cõficiunt.* quam ſententiam vitio tibi paſſim familiari (vt alibi etiam notauimus) ad verbum ſuffuratus es ex Fernelij lib. 2. Methodi medẽdi cap. 4. At illic ô centonifex noſter nulla fit mentio liberatæ obſtructionis à venę ſectione in cacochymia,

chymia,quin potius euacuationis,illis ver-bis, [ detracta oneris portione,quo natura premebatur. ] quod autem eſt illud onus? númne vitioſus humor in venis exiſtens? quin idem Fernel.continuò ante ſuperiora verba ita ſcribit: Simplicem venarum ca- "cochymiam ſecta vena minuere tutum eſt "ac vtile,copiæ tamen ac virium ratione ſu- "ſcepta. & continuò poſt eadem ſic. ita ſanè "per continuas febres cum humorum ſum- "ma etiamnum cruditas & putredo in venis "eſt, plærunque miſſo ſanguine vrinæ quæ "rubræ, craſſæ & turbidæ fuerant, mox pu- "riores apparent, cõcoctioníſq; notas exhi- "bẽt.quos locos malitioſè diſſimulaſti,quoniam tibi apertiſſimè repugnant: nam ſi in cacochymia ſanguinis miſſio adhibetur ad euacuationem,per ſe illi vtilem eſſe eſt neceſſe: euacuatio enim illi per ſe conuenit & vtilis eſt. ſed præſtat id Galeni ſententia confirmare.Is 9.Methodi me.cap.10. de humorũ corruptela & ſanguinis miſſione loquens in hunc modum ſcribit.De qua hu- "morum corruptela tempeſtiuum eſt men- "tionem facere,quo omnes mittẽdi ſangui- "nis indicationes in hoc libro decidamus. "

, ergo quod corruptum eſt,id alienum à na-
, tura eſt:quod tale eſt id ſe auferendum di-
, ctat.ſi igitur cum viribus imbecillis corru-
, ptela incidit, vtique quod affectus reme-
, dium eſt, id cum virtutis cuſtodia pugnat.
, ſiquidem affectus vacuandum eſſe præci-
, pit, ídque vel vena inciſa, vel purgatione.
Harum autem neutram ferunt imbecillæ
, vires. Cõcludit tandem. Oportet ergo vbi
, indicationes, ita ſibi inuicem aduerſantur,
, & paulatim quod vitioſum eſt vacuare, &
, paulatim inuicem,quod ſalubre eſt,pro eo
, reponere. Hæc Galenus idem quoque in
hiſtoria mulieris illius tabeſcentis, ſangui-
néque ter miſſo curatæ, de qua ſuprà egi-
, mus. ſic loquitur : diſſecto autem vaſe ſan-
, guis pici liquidę,ſimilis erat & craſſus,quã
, ob rem longè plus euacuãdum eſſe viſum
, eſt. Ex his adeò perſpicuum fit ex Galeni
ſententia ſanguinis miſſionẽ cacochymiæ,
euacuationis ergo & per ſe conuenire poſ-
ſe,vt non ſanæ mentis eſſe videaris, ſi per-
gas ea de re dubitare,nobíſque tuum illud
per accidens occinere.Non negauerim ta-
men illam per accidens, & ſecundariò ali-
quid efficere & prodeſſe, dummodo con-
ſtet &

ſtet & ratum ſit maius auxilium, quod ab ea in cacochymia ſperatur propriè & primariò ab ea præſtari, nempe euacuando partem eius humoris qui in vitio eſt: eius enim humoris euacuatio præcipuus eſt totius curationis ſcopus, vt ex Galeno ſuprà didicimus. ſed tu eam omnem purgationi committendam eſſe cenſes, Botallúmque accuſas, quaſi ille ſanguinis miſſioni ſoli id muneris cõcedat: nam veluti id alicubi dixerit, inquis, *etenim vel delectus omnis in curatione cacochymiæ, valeat, oportet vel cacochymiæ omni præſidium ex venæ ſectione petẽdum eſſe defendere non potes.* Cur verò tueatur quod nullibi aſſeruit? Purgationis itaque in cacochymia laudes eſſe eximias nemo dubitat, vt non neceſſe tibi hîc fuerit id confirmare ex delectu medicamentorum, quę accommodanda ſunt humori peccanti. quæſtio tantum erat, an ſanguinis miſſio cacochymiæ conueniat per ſe, id eſt, vt ego interpretor, euacuandi cauſa quod in venis eſt vitioſi ſanguinis. Tu negas. Botallus verò affirmat & docet ex Galeno & Rhaſe. Deinde ego id hîc tibi etiam cõprobaui aliquot locis ex Galeno & Fernelio, quo-
Fo.107.a

niam tu maximè ab eorũ authoritate pendes. rationem nunc adferam, qua ſimul tibi reſpondebitur de eo quod ſuprà ex Fernelio attuliſti, nempe quod vena ſecta humores omnes æqualiter prodeant, eadémque quæ ante fuit reſtet humorum proportio. hoc enim mihi abſurdum videtur. nam etſi aperta vena liber exitus cuique humori pateat, humores tamen æqualiter in omnibus corporis partibus commixti minimè reperiuntur, vbi præſertim vitium eſt in venis. Sępe enim vena ſecta obſeruamus ſanguinẽ primo exeuntem admodum eſſe vitioſum atque corruptum, eum verò qui poſtea mittitur meliorem & puriorem, ergo humorũ proportio quæ prius erat, mutata eſt ea venæ ſectione, ab eáque minus eſt vitiati ſanguinis in corpore quã antea. Eius rei cauſa eſt, quod in partibus à corde remotioribus maior eſt ſanguinis impuritas: iecur enim & cor ſuo calore & robore longius à ſe quod impurum eſt, reiiciunt. Accedit quòd ſanguis quò lõgius abeſt ab iiſdem veluti fontibus, facilius à ſua integritate recedit & vitiatur. Præterea partes vtpote crura & brachia quæ eo ſanguine aluntur,

aluntur, trahunt ex eo quod eſt benignius & nutritioni magis accommodatum, manet itaq; ſanguis impurior, & vt ita dicam fœculentior, qui ſanguinis miſſione detrahitur. vnde Hippocrates & Galen. cæteriq; præclari medici plærunque iubent in magnis morbis detrahi ſanguinem vſque ad eius mutationē, ſeu dum purior appareat. quam tamen indicationem ſæpe fallacem eſſe Botallus docuit. Hæc ſi referas ad ea quæ ſuprà dicebamus de cacochymia, intelliges quam non rixæ ſint, quas hîc Botallum excitaſſe quereris, ſed eum rectè & vtiliter ad euacuandum venę ſectionem in illa adhiberi, admonuiſſe. Tādem hunc locum ita concludis, quaſi ille ſui oblitus ſententiæ tuæ aſſentiatur, quoniā dixit ſic eſſe partiendam ſanguinis miſſionem, vt ea crebro repetita id, quod in venis eſt corruptū, paulatim ſine viriū læſione magna ex parte exhauriatur, quia totum eximi neq; cōuenit, neque arte poteſt: at reſiduum, vt Galenus multis locis dixit facilius tranſpirat aut excernitur. Ad hæc enim tu exultans, inquis: *Hoc autem quid ſit aliud quàm cōfiteri venæ ſectionem in cacochymia adhiberi,*

Pag. 95. & 96.

Fol. 107. b.

*vt cum corpus fluxile factum fuerit iuxta Hippocrat.ſententiam, Aphoriſ.9.lib.2.bellè purgatio ſuccedat neſcio.* Rectè hoc neſcio, Villice: nã quod Botallus dixit de faciliore humoris trãſpiratione, tu imperitè intelligis de corpore fluxili, hûc etiam detorquens quod Hippocrat.dixit de corpore fluxili reddendo ante purgationem, tanquam Hippocr. illic mittendum eſſe ſanguinem iubeat, vt corpus fluxile ad euacuationẽ per aluum efficiatur. quo quid ineptius dici poteſt? Præterea malè de ſanguinis miſſione mereris, qui nobis ea quod vitioſum eſt in venis, euacuari, ſed tantum effici, vt id facilius purgatione poſtmodum euacuetur. at quod illa emiſſum eſt corrupti ſanguinis, in vaſculíſque innatat, númne cũ in venis erat vitij copiam augebat? mirum verò ſit, ſi detracto quod augebat, quod augebatur non imminuitur? quid verò hoc loco aliud eſt imminuere quã euacuare? Sed, inquis, tantum partẽ euacuat: bene eſt. At, nec ipſa purgatio, omne quod in vitio eſt in corpore educit: aliquid perpetuò natura reliquum facit, quæ ſola corporis profundum expurgat, & morborũ medicatrix ab Hippocrate

pocrate rectè appellatur. Sed quid his diutius immemor, quaſi non ſatis ſit perſpicuum diſquiſitionem iſtam tuam de cacochymia erroris,& ineptiarum plenam eſſe, & planè (vt ita dixerim) cacochymam? ab ea cacochymia tranſis ad cacothymiam tuam planius explicãdam in quæſtione de venę ſectione, an poſt veneris immoderatũ vſum ſemper reiicienda ſit, prætermiſſa interim ex compoſito ea quę pręcedit de vehemẽtibus articulorum doloribus, quum tamen omnino aduerſa ſit iis quæ ſupra ſtatueras de podagra. Sed veriſimile eſt te neſciſſe quid opponeres, maluiſſeq́; nihil, quã male reſpondere. vtinam eadem prudẽtia in reliquis vſus eſſes, imperitię & improbitatis tuæ fama ad has vſque regiones minime penetraſſet, noſq́; hoc tibi reſpondẽdi labore caruiſſem. Sed videamus quid hîc noui ex cacochymiæ tuæ penu nobis adferas, *eius vſum*, inquis, *in morbis, qui ex veneris intẽperantia nati ſunt probare non poſſum*, Fol. 107. b.
*rationem à te nõ exquoro, qui præter experimenta nihil profert &c. An verò experimenta tibi perſuaſerunt eorum ſententiam qui poſt immoderatum coïtum venæ ſectione interdicunt, tàm*

*falſam eſſe & à ratione diſſonã, ac eam quæ promittit abortum à ſanguinis miſsione? at diſpar longè ratio eſt.* Et hîc ex limo tuo nobis veterẽ illam, & tot locis iniquè iiſdem etiam verbis repetitam querelam canis de ratione & experientia, quam memoriter, vt puto, didiciſti: vt in promptu ſit, cum alia tibi orationis tuæ ornamenta deſunt. Sed ne te garrientem imiter, quod alibi hac de re tibi reſpondi hîc non repetam: dicam tãtum noluiſſe Botallum ſententiæ ſuæ rationes omnes hoc loco exequi: quoniã vt ibidem apertè teſtatur aptiore loco de illa diſſerere inſtituit. Cæterùm nulla occaſione (niſi vt veterem tuum calumniandi morẽ retineas) inde te torques, vt probes lõgè aliam eſſe rationẽ, cur nõ mittatur ſanguis in iis qui à nimio coitu laborant, ac in vtero gerentibus. Nam Botallus minimè cõtrà ſentit: ſed tantum cõparata ſententia de coitu cum ea de grauidis, in ratione veritatis aut falſitatis, inquit, æquè falſam vnam eſſe atque alteram, vt legenti facilè patet. præſtitiſſet verò id examinare quod ille dixit de morbi magnitudine ac venarum plenitudine, inde docens indicationem ſumi mit-

tendi

tendi ſanguinis in iis qui poſt immodicum veneris vſum laborant : quemadmodum ſe feciſſe optimo ſucceſſu ſignificat. Sed tu tanquam nullius iudicij hominibus ſcribas, paſſim lectores ludificas peruerſis hiſce tuis interpretationibus, vaníſque & ſuperfluis diſputationibus: res verò ſerias vel omnino prætermittis, vel leuiter tantum attingis, quod ſæpe in ſuperioribus, benignus lector, obſeruabit. Interim monebo te malè te ratiocinari ex Hippocrat. Aphoriſm. primo, lib. 4. cùm inquis, *Quòd ſi media geſtatione id licet, longè tutius in initio factu fas eſt*. Nam indicas idem dici poſſe de purgatione, quæ tamen etſi medio geſtationis tempore cùm turget materia admittitur à iuniore tamen fœtu abſtinendum eſſe Hippocrat. iubet. Nunc venis ad aliam libelli Botalli partem, quæ eſt de quantitate, tẽpore & ſcopis mittendi ſanguinis, additis etiã aliquot quæſitis, & aliis quibuſdam ad idem inſtitutum facientibus. quorum tu quædã ad inſectationis tuæ finem eadem arte exagitare aggrederis initio ducto à quantitate: cuius definiẽdæ rationem illam generalem ab animi deliquio, à viribus,

Fol. 102. b.

bus,

bus, à coloris mutatione deſumptam etſi Botallus non inutilem eſſe videret ad iudicandum de termino in quo conſiſtendum ſit in miſſione ſanguinis, tamen quia multùm fallacis, & periculoſæ incertitudinis eam adhuc relinquere in ſtudioſorum animis cognoſceret: hos ipſe certiorib9 & magis particularibus notis confirmare, eamq; medicinæ partem, quæ illam maximè facit coniecturalem, hinc illuſtrare, & ad vſum accommodatiorem reddere nititur. adeò vt maximam apud medicinę ſtudioſos gratiam eo potiſſimùm nomine promereatur. Tu verò imperitiſſimæ tuæ maledicentiæ Oeſtro percitus hũc eius honeſtiſſimum laborem rationibus quibuſdam ſeu potius conuitiorum verborũ technis & inanibus nugis vituperas, & quæ ille apertè & perſpicuè aſſerit & explicat, cõfuſa & perturbata diſputatione exagitãs peruertis & obſcuras. Inſectationis verò huius tuæ caput & fundamentum eſt peruerſa & ad calumniandum abs te conficta interpretatio eorum quæ ab illo dicuntur de viribus. Nam lectori perſuadere conaris indicationem quæ ab illis ſumitur primum ab illo

teiici

reiici & repudiari, poſtmodũ magna incõſtantia,& veluti ſui obliuione recipi,& cõmendari id vnum ferè toto obtretactionis tuæ decurſu vrges,& non ſine multis quæ tibi cœca & veſana maledicẽdi rabies ſuggeſſit,offuſis in eum conuitiis, ſingulis fere paginis repetis & inculcas, vt quod recta ratione ſuaderi abs te non poteſt, ſaltẽ hac frequenti repetitione lectorum animis infigatur, infixumq́; firmius hæreat. At qui attento,& æquo animo Botalli diſputationem legent, nullam in ea inconſtantiam, nullam ἀντιλογίαν inuenient. Nam quod ille initio monet ambiguam & periculoſam eſſe eam metam, quam ſanguinis miſſioni medici præfigũt, ſignificatione ducta à viribus,& ab animi deliquio,id ipſe intelligi debere indicat de nota ea quam ex animi deliquio vel conſtãtia, aut ex contrectato pulſu dum ſanguis mittitur, accipiunt, iuſtam ſanguinis quantitatem eductam eſſe iudicãtes,dum eouſque eductus eſt,quum vel animus deficit,vel ex pulſus perturbatione vires labaſcere colligunt. Docet autem eos qui ſic æſtimato viriũ robore mittendi ſanguinis quantitatem, & mẽſuram definiunt,

Fo. 110.a 116.a. & b.119.b. 120.a.

definiũt,falli & decipi poſſe: ita vt vel plus vel minus quam par ſit ſanguinis detrahãt. Nam cum animns deficere, vel pulſus perturbari multis aliis cauſis poſſit quã ipſius euacuationis propria ratione(à qua ſola cũ animus deficit debitã miſſi ſanguinis quantitatem ſignificari in quibuſdam morbis, Hippocrat.& Galenus docent) Certè perſpicuũ eſt ſi miſſionis ſanguinis terminus ponatur in pulſus perturbatione vel animi deliquio,fieri poſſe, vt in quibuſdam prius eum ſupprimas quam ſatis ex eo eduxeris, in aliis verò multo plus extrahas,quã oporteat.ſunt enim quidam , vt aliquot exemplis oſtendit Botallus,qui animo ſunt tàm forti tàm conſtanti, & firmo , vt eis,neque pulſus, neque animus mutetur , niſi ab extrema euacuatione, in iis ſi prius exeũtem ſanguinem nõ ſupprimas(quod tamen aliquando vt mox dicebam iubent Hippocr. & Galenus)quàm alterutrum eorũ ſignorũ appareat, in maximũ vitæ periculũ hominem adduxeris vel iugulaueris,vt accidit iis,qui Galenum imitari volentes ſanguinem mittẽdo ad animi vſq; deliquium animam ſimul cum ſanguine effundebãt,

vt ipſe

vt ipſe ſcribit in Methodo Medendi. Quæ cum ita ſe habeant iniquiſſimè Botallum obiurgas monentem eas notas definiendæ quantitatis ſanguinis, quæ ab animi deliquio & à viribus eo modo ſumũtur, ambiguas & periculoſas eſſe. Fruſtra quoque laboras vt doceas ex Galeno variis de cauſis homini animum deficere poſſe, & tantum cum ab euacuatione deficit ab Hippocrate & Galeno animi deliquium ſtatui pro termino miſſionis ſangninis. Nam hoc ipſum quoque incertum & periculoſum eſſe (vt paulò antè indicaui) demõſtratum eſt à Botallo aliquot rationibus & exemplis, quibus nihil rectè reſpõdes, præter neſcio quas ſubtilitatum quiſquilias, quibus legentium animis tenebras offundis, ne reprehẽſionum tuarum futilitates bene perſpicere poſſint: quare lubet in illas pauliſper inquirere, vt ingenij tui in diſputando acumen melius cognoſcatur. Primò reprehendis quod ille dixit metam definiendæ quantitatis mittẽdi ſanguinis à viribus deſumptam nõ eſſe abſimilem ei quæ ab animi deliquio capitur. etſi verò ſimilitudinis ratio perſpicua ſit ex eo quòd meta illa à

virib⁹

virib⁹ deſumpta definiatur earũ imbecillitate, animi autẽ deliquiũ nihil aliud ſit quã quidam virium lapſus, tamen tu multùm diúque te fatigas, vt maximè abſimilẽ eſſe oſtendas, quare multa huc congeris more tuo, de indicantium contra indicantium, coindicantium & correpugnantium natura, & inter ſe diſtinctione. Tandémque ſic

Fol.114.a concludis: *Ergo vt non abſimilis ſit ratio virium & defectionis animi hanc indicandi vim habere doceas oportet. num igitur indicat aut coindicat? atqui ab eo quod non eſt, quidquam indicari non poteſt.* Sed eadem ratione, ô Villice, dices virium imbecillitatem, in qua incipiẽte ponitur terminus miſſionis ſanguinis, vt ſuprà dicebamus, nihil eſſe: quòd ſi verum eſt, maxima erit vtriuſque ſimilitudo, cum vterque nihil ſit: ſi tamen ſimilitudo eſſe poteſt inter ea quæ non ſunt. At hoc eſt perridiculum quod aſſeris animi deliquiũ nihil eſſe, & nihil indicare. Nam ſi nihil eſt, nullas ergo habet cauſas, fruſtráque Hippocrates, Galenus alij itẽ medici eas quæſiuerunt & tradiderunt. Fruſtrà quoq; illud eſſe dicitur ſymptoma pertinens ad actionem læſæ facultatis vitalis.

Nullum

Nullum verò eſſe ſymptoma quod aliquid non ſignificet,& indicet,quis pręter te vnquam negauit? quanquam quid opus erat Villice, hunc lapidē mouere, de animi deliquij indicatione,cū eius indicationis Botallus nullam mentionem faciat? Dixit tātùm animi deliquium frequentiſſimè ſtatui à Galeno metam miſsionis ſanguinis pag. 101. verſu 7. quod demum quaſi ipſe non dixerit,tu vt id illum doceas,maxima vanitatis tuæ ſignificatione ita colligis fol. 114.facie 2.ad finem. *Animi igitur deliquium terminus erit,quem vacuationi conſtitui oportebit*, &c. Paulò poſt aliud ſubtilitatis tuæ ſpecimen nobis præbes,cum antilogiæ criminis Botallum conuincere tentas, ex illis eius verbis. explorandus quidem, inquit, pulſus eſt aut vultus patientis ſaltem contemplandus, dum ſanguis detrahitur, verùm nō vt minus aut plus detrahas, quam ante ſectionem decreueris,ſed vt tantiſper intermittas,dum animus aut pulſus immutatus,vel interceptus ad ſe redeat. Ad hæc enim ouans ita aduerſus illum inſurgis. *Optimè:animaduertus ne vt imprudens ex pulſu virium robur intelligi fatearis,dum tantiſper*

Pag. 103.

*intermitti vis, donec animus aut pulſus mutatus vel interceptus ad ſe redeat? Vel enim ad ſe redit, vel non redit: ſi ad ſe redit audacius ſanguinem mittis. Si non redit, ſanguinem ſiſtis: pulſus igitur ſiſtendum aut amplius ducẽdum eſſe ſanguinem tibi perſuadet.* Malè & vitiosè hoc dilemma tuum ex Botalli hyppotheſi conſtruis, Villice. Nam pars ea quam in eo aſſumis, inquiens: *ſi ad ſe non redit animus, ſanguinem ſiſtis*: ſuperflua eſt & contraria hypotheſi, in qua, vt videre eſt, ponitur eum cui dum ſanguis mittitur, animus defecit, iis eſſe viribus, vt multò copioſiorem ferre poſſit ſanguinis detractionem, quam ea ſit, in qua animi deliquio prehenſus eſt: colligendum itaque eſſe ſymptoma illud nõ ab euacuatione, ſed alia quapiam leui de cauſa, quæ diu durare nequit, ei accidiſſe, vt propterea nos perterreri, & à prius lata ſententia de mittendi ſanguinis quãtitate diſcedere nõ oporteat. Vbi igitur animus ad ad ſe redierit, (illicò autem redit) amoto digito, quo ſanguis interim ſupprimebatur, ei liberum exitum denuò concedendum eſſe, donec exierit, quod antea extrahendum eſſe ex arte iudicatum fuerat.

Quid

Quid hîc Botallo excidiſſe cõminiſceris quod eius ſẽtẽtiæ omni ex parte nõ cõue niat?nã cõfirmat ea quæ antea docuerat de viribus,nempe nõ poſſe ſumpto de illis indicio expulſu, dum ſanguis mittitur,certò quidq̃ de modo & menſura mittendi ſanguinis determinari : Nam eo indicio pauliſper tantum inrermittendam,non autem omnino ſupprimendam eſſe ſanguinis detractionem ſignificari oſtẽdit. Innuit ergo ex potioribus notis, quas poſtea docet,antequam manus operi admoueatur, prudẽter deliberandum artificioſéque ſtatuendum eſſe quantam mittendi ſanguinis copiam morbi magnitudo poſtulet,quãtámque homo ferre valeat, in eóque iudicio perſeuerandum eſſe dum, quod conſtitutum fuerat, extractum ſit. Quæ verò ſunt illi indicia?ea tu paulò poſt recenſes, & vt fabulæ tuę partes omnes bellè ſibi reſpondeãt,ſic interpretaris,quaſi ea Botal.nõ ad virium robur explorandum adhibeat, ſed indicationi quę ab his ſumitur opponat,& eius loco ſubſtitui velit. Interim velim hîc tibi in mentem redire; quæ ſuprà fol.20. & alibi paſſim in tua admonitione temerè ef-

futiiſti, inquiens Botallũ indicationes omnes, quas in morbis abhiberi oportet, prætermiſiſſe, &c. nam ſummè effrõs & impudens ſis, niſi eorum nũc te pudeat, cum has eius indicationes ſcripto hoc tuo agnoſcis
Fo.116.b & enumeras. ſic verò, inquis, *Sed certius multò mittendi ſanguinis menſuram tibi definiri placet corporis habitu, ætate, anni tempore doloris, aut morbi magnitudine, cõſuetudine, & morbi ſpecie, & alijs huiuſmodi, &c. Verùm quis earum rerum alius ſit vſus, quam vt exquiſitius, atque perfectius in cognitionem virium nos deducant, doce nos ſi potes.* Rectè doceri poſtulas, Villice: nam docendus hoc loco es morbi ſpeciem & magnitudinem non indicare virium robur, ſed remedij genus & quantitatẽ: vt in Methodo medendi tradit Galenus. In reliquis non erat neceſſe quidquam controuertere, tempúſque inſumere, vt probares illis robur virium indicari, cum Botallus aliter non ſentiat, vt oſtendimus: inter hæc autẽ illi aduerſaris in quæſtione de obeſis, & cum Celſo & Galeno ægrè eos venæ ſectionem ſuſtinere aſſeris, propter venarum exilitatem. Tamen non multò poſt ſententiam tuam veluti retra-
ctans

ctans eos,qui acquiſititio habitu talesſunt, (huiuſmodi autem ſunt plærique omnes obeſi)venas latas habere fateris. Itaque in iis ſaltem valebit,eius ratio,qua inquit minus ſanguinis mittendum illis eſſe non ob venarum exilitatem, & ſanguinis inopiam cum his amplæ venæ ſint & ſanguis abundet, ſed quia magnum corpus & obeſum copioſiore eget alimẽto, ne defectu, vt ait, langueat. Aphoriſmus autem ille quẽ profers ad eos tantum pertinet,qui admodum craſſi ſunt, & tales ſunt à prima ætate, vt monet Galenus in Comment. In quibus númne tu ipſe lynceus fueris oportet,qui exiles illas venas quæ cutis,membranę carnoſę,& pinguedinis craſſitudine,obteguntur & occultantur, ita ſenſu te percipere profiteris, vt de earum tenuitate iudicium ferre potueris? De oculis tuis quid ſtatuendum ſit neſcio, mentis certè aciem admodum obtuſam,hebetẽ & ſtupidam tibi eſſe ex copioſa illa ineptiarum farragine, quæ admonitionis tuæ vtrũq; latus fulcit & ſuſtinet,facilè eſt animaduertere.In ea certè nil acute,nil ingenioſè deducitur & diſputatur:putidiſſimis tantum iiſque inſultiſſi-

mis conuitiis & cõtumeliis, ex quibus totus es compoſitus, atq; commixtus, plena ſunt omnia, vt nil aliud ferè quàm huiuſmodi fœtores vbiq; crepes. Nam hoc etiã loco inter cætera ſic in illum debacharis:

Fol. 119. b. *Vereor equidem*, inquis, *ne liberalis ſanguinis miſsio, ad quam, vt ſcribis pag.23.te contuliſti cum quartana opprimereris calorem & ſpiritus qui in te vigebant tantopere labefactarit, vt non modo naturæ, verum etiam mentis munera belle obire nequeas, cui memoria eouſque vacillet, vt quæ ambigua appellaſti, pro certis & exploratis habeas. Si ambigua appellanda putaſti, quia obſcuram ipſorum vim atq; rationem mente concipere non poſſes, id tibi contigiſſe non miror qui in vna experientia omnia tua collocans, ab artium præceptis idonea ad eam rem adiumenta nunquam petÿſti, ſin verò quia his res duæ aut plures ſignificari viderentur talia exiſtimaſti, cui hoc nomen quam tibi melius conueniat non video qui tam paucis chartis interiectis duas de eadem re differentes ſententias habes.* Poſtulabat, vt opinor, maledicẽtiæ tuæ methodus, vt hîc ſub inſectationis tuæ finẽ contumelias & calumnias tuas ſaltem turpiores hoc breui epilogo cõplectereris, adeò nullum

eſt in eo verbum,quod ſuum virus nō ſpiret & eiaculetur. Illum verò omnium oculis proponendum eſſe exiſtimaui, vt inſulſitatis & malignitatis tuæ dedecus magis ac magis fieret manifeſtū. Nec mihi verēdum fuit ne doctiſſimo & ornatiſſimo viro vlla inde infamiæ nota inureretur. eius enim dignitas ſublimiore loco poſita eſt, quam vt ab inertiſſimę & ineptiſſimæ tuæ maledicētiæ telis vllo modo attingi & lędi queat. Quid verò de eius ingenio & memoria miſer deblateras? ea eſt in illo vtriuſque fœlicitas, quemadmodum omnes qui illum familiariter nouimus teſtari poſſumus, vt paucos pares habeat: tu verò niſi melior ſis, quam te tuus hîc libellus depingit, ne matellam quidem ea in re illi porrigere dignus ſis. Ex his autem quę ſuprà docui, ſatis eſt perſpicuum nullam hoc loco eſſe eius memoriæ culpam, nullam antilogiam, ſed omnia ſibi inuicem perbellè cohærere & conſentire, at tu quæ præ ingenij tarditate, & rerū præſertim medicarum imperitia intelligere nequis, dentibus veluti rabidus diſcerpis atque dilaceras. Quin hæc maledicēdi rabies ita tibi men-

tem perturbauit,& de ſua ſede dimouit,vt dum hîc de memoriæ lapſu & repugnantiæ crimine Botallum accuſares, vtranque culpam turpiſſimè commiſeris. Nam ſcribis hîc liberalem ſanguinis miſſionem ad quam ille ſe contulit,cum quartana opprimeretur ei mentem labefactaſſe. At fol.46. facie prima ad finẽ, dum de hac ipſa quartana aduerſus illum diſputares, aſſeruiſti atram bilem illi mentem dediſſe, (ſoles enim huiuſmodi ſalibus orationis tuę fatuitates condire) vt in curatione ſuæ quartanę ſanguinis miſſionis in ſe periculum non faceret. Quid eſt memoria vacillare ſibiq; ipſi contradicere, & repugnare ſi hoc non eſt? Númne autem tuo ipſius teſtimonio calumniæ tua falſitas apertiſſimè coarguitur? Non potuit enim ſanguinis copioſior detractio Botallo mentem aut memoriam vllo modo imminuiſſe, ſi id remedij, vt tu ipſe teſtatus es, in ſe minimè tentauit. Sed hæc Dialecticæ tuæ methodus eſto. eiuſdem eſt quòd ſi imperitos medicos alicubi ille monet, vel reprehendit: tu illicò eorum nomine reſpõdes:tum alibi paſſim,tum paulò poſt hæc,vbi inquis: *Neque*

Fol.122. a.& b.

*enim*

*enim aliud volumus.* Item, *ſemper falſum aliquod crimen in nos intentas, non ignoramus,* &c. At niſi te eorum numero cenſuiſſes, Villice, fortaſſe tutus ab illius reprehēſionibus & ignotus latere potuiſſes: ſed, vt video, innoteſcere cupis, nec tibi curæ eſt quo nomine id fiat, dummodo fiat. Quid verò, ô imperiti, non ignorare vos dicitis, vt immeritò vos de eo accuſarit Botallus? *Quocunque morbi die,* inquis, *mittendi ſanguinis ſcopos in laborāte inuenerimus venæ ſectionem iure adhiberi, etiamſi vel vigeſimus dies ab initio morbi extiterit.* Vtinam, Villice, id fruſtrà vos ille monuerit, vóſque id tam re ipſa præſtetis, quàm nunc ore prædicatis: tātum abeſt, vt is doleat ſe falſum eſſe ſua opinione, vt maximè gauiſurus ſit, & vobis de emendato veteri errore gratulaturus. Hinc te comparas ad reprehenſionem eorum quæ à Botallo dicuntur de miſſione ſanguinis in morbi vigore, quo loco improbus, ſimul & imperitus es: nā illius verbis (vt ſæpe ſoles) abſurdum ſenſum affingis, reprehenſionémque totam ex ſuffuratis ex Fernelio ſententiis contexis. Siquidem ambas paginas fol. 123. integras ferè

exſcripſiſti ad verbũ ex illius lib.2. Methodi medẽdi cap.13. nempe ab illis verbis, Vt in phlegmone pus.ad ea vſque,Præſidium petendum.quę ſunt initio fol.124.nulla interim ipſius Fernelij facta mentione, vt in aliis etiam furtis tuis quæ in ſuperioribus obſeruauimus. Hoc verò eò turpius eſt, quod illis verbis aliud agit Fernelius:diſputat enim contra Auicennam aſſerentẽ non adhibẽdem eſſe in morbis phlebotomiam ante eorum perfectã coctionem:à qua opinione cum Botallus longè diſcedat (nam cum Hippocrate & Galeno ſæpiſſimè docet eam conuenire maximè in morborum principiis) quomodo eius ſententiæ refellendæ illa Fernelij reprehenſio conuenire poteſt. Hîc enim non in morbi coctione & ſemper,vt Auicenna,ſed in eius vigore ſeu vehementia,& aliquãdo tantùm mitti vtiliter ſanguinem poſſe cenſet. At tu morbi vigorem ſine eius coctione eſſe negas, non ſine magno errore.etſi enim morborum ſalutarium tempora cruditate & coctione diſtinguantur: in morbis tamen lethalibus multò aliter ſe res habet, quorum tempora ſola ſymptomatum vehementia defi-

Fol.127. a.

niri

niri poſſunt: vt colligi poteſt ex Galeno cap.6.lib.de Morb.temporibus. Nam cùm in horum vigore mori ægrum ſæpe cõtingat, dicéſne morbum tunc cõcoctum fuiſſe? In huiuſmodi itaque morborum vehementia mitti ſanguinem vtiliter poſſe ſtatuit Botallus (vt videre eſt ex eius pag.145. & ſequentibus) in quibus non coctionis & ſalutis ſigna apparẽt, ſed exitij ſummus eſt metus, niſi arte ſuccuratur, vt accidit in acutis, quorũ tertius & quartus & ſeptimus dies malum auxerint, vt monet Hippocrat. At malum in illis nõ augetur aut viget, niſi propter materiam morbificam, qua natura opprimitur, nec ſe exonerare poteſt. quare ſi qua eius adiuuandæ ſpes eſt, ea poſita eſt in eiuſmodi materiæ imminutione. quî verò promptius, tutius & minore cum perturbatione imminui poſſit, quàm ſanguinis detractione? quam rationem etſi perſpicuam, confirmat tamen Galeni aliquot locis, multíſque ſuis exemplis ad quę tota illa prolixa tua diſceptatione nihil habes quod obiicias, præter morbi coctionem, à qua natura non ſit interpellanda, ſed cùm in eiuſmodi morbis, vt dixi, nulla coctionis

manifeſta

manifeſta ſigna appareant, metus eſt, ne ſi illius expectatione tantum te ſpectatorem præbeas, natura in eo cõflictu ſuccumbat, ægérq; de medio tollatur: ſed quid hîc tecum pluribus contẽdo, cùm ex iis cuilibet ſatis perſpicuum eſſe poſſit te non ſolùm faciendæ medicinæ imperitiſſimum eſſe, ſed & ratione ac iudicio omnino carere? vt tamẽ maledicẽtiæ tuæ improbitas & ignauia planius demõſtretur, non eſt omittendum falſum crimen quod in Botallum intentas, in exemplo D. de Beaurepere. vt enim abſurdam eius ſententiam efficias, quaſi ſentiat non eſſe venam ſecandam in morbi principio aut incremento, ſed tantum in ſtatu, abuteris quodam eius loco, quem vt cõfictæ tuæ criminationi reſpon-
Fol.125.b deat, mutilum profers, ſic inquiens: *Tu in febribus non quidem aut incipientibus aut increſcentibus, & longè diſtantibus ab ipſo ſtatu, imò dum id tempus in procinctu eſt, ſanguinis miſsioni locum eſſe confirmandum ſuſcepiſti*: at illis verbis, Villice, loquitur Botallus de euacuationibus quę motu fiunt naturę, quã ars prius iuuerit, vt vomitu, ſudoribus, alui fluxu, quib⁹ æger morbo liberatur aut ſubleuatur,

leuatur, quod ſit tãtum in morbi ſtatu: in- Pag. 145. verſu 9.
quit, enim nam hæc non eueniunt aut in- "
cipientibus morbis, aut increſcentibus, aut "
longè diſtantibus ab ipſo verò ſtatu, &c. "
Sed hîc non conſiſtit criminatio tua, eam vlterius promoues: addis enim continuò ſuperioribus. *nunc verò febrem profers, cui (quoniam ſingulis exacerbationibus tam grauiter ægrum affligeret, vt hîc de vita periclitari videretur) in qua ipſa exacerbatione ſanguinis miſsione ſubueniſti: at vigoris & exacerbationis longè diſpar ratio eſt.* Diſpar quidem ratio, Villice, ſed ita vt in morbis qui per circuitus exacerbantur ſummus vigor alius non ſit à ſumma acceſſione, in ea enim fieri ſolet criſis, vt paſſim docet Galenus. quid impedit ergo vt in febre D. de Beaurepere, idem ille ſummus vigor febris, in quo illi ſanguinem miſit Botallus non fuerit ſummus vigor totius morbi? Næ nobiliſſimæ ſcholæ, cuius te alumnum prædicas es dedecori, Villice, qui hæc ignores. quod vt fortè in alio quopiam ferri poſſit, in te tamen ſeuerè caſtigandum eſt, qui ipſos doctos & ſapientes viros docere, & in certamen contumelioſè etiam prouocare non

vereris.

vereris. Supereſt vna obiurgatio tua in
quæſtione de venę ſectione & purgatione,
vtra alteram præcedere debeat,in qua ver-
borum quidem & orationis cultui paulò
plus operæ poſuiſſe videris,non maioribus
tamen rationum momentis pugnas, quàm
in ſuperioribus.Botalli ſententia eſt ſecan-
dam eſſe venam ante purgationem pręter-
Fo.129.b quam in affectibus ventriculi & inteſtino-
„ rum ſine inflammatione & febre,qui oriũ-
„ tur à vitio humorũ illis adhærentium:nam
in his aut purgatio ſola debetur, aut ante
miſſionẽ ſanguinis : eam Botalli ſentẽtiam
tu admittis tantũ in immanibus & impor-
tunis morbis,vt loqueris, vt in vehemẽtiſſi-
ma plenitudine,in febre ardẽtiſſima & ma-
ligna, in lapſu, in caſu, aut attritu graui, ac
etiã in athletico habitu, à quo præſens aut
ſuffocationis, aut ruptionis vaſorũ pericu-
lum impẽdet: in iis nulla interpoſita mora
etiã nõ præparato corpore à venæ ſectione
petendũ eſſe præſidiũ concedis.in reliquis
medicamentum catharticum aut ſaltem
ἐκκοπρωτικὸν præmittendum eſſe contendis,
ne humor crudus aut corruptus, vt inquis,
è vẽtriculo in venas rapiatur, háſq; impu-

ritate

ritate multa polluat. quod ad cathartica attinet probat Botallus Hippocratis & Galeni authoritate, in omnibus ferè morbis (ſiquidem vtroq; remedio opus ſit) ante ea mittendum eſſe ſanguinē. Ad Hippocratis locū de hepatis doloribus ſpleníſq; grauitatibus, doloribus ſuprà ſeptū tranſuerſum natis, inflammationibus, morborum collectionibus, reſpondes in illis Hippocratem Fo. 129. a iubere inchoandum eſſe à venæ ſectione, quoniam æger in iis vitæ periculum ſubit: at vitæ illud periculum nō tam præſens eſt quin multum temporis cōcedat ad propinandum medicamētum ante ſectionē venæ ſi eo opus eſſet. quare ratio tua nullius eſt momenti. quod veluti agnoſcens, aliam ſtatim excogitas, inquiens: *Adde etiam pur-* Ibidem. *gationem quàm principio adhiberi vetat Hippocrat. eam eſſe quæ ad tollendum morbificum humorem comparata eſt, non eam quàm ad expurgādas alui fæces, dum morbus ſinit, principio inſtituimus.* Sed hæc diſtinctio penitus aduerſatur ipſi Hippocrati, qui eo loco iubet incipere à venæ ſectione, inde ad clyſteria peruenire mox ad purgationes: quòd ſi ordinem peruerteris, futurum eſſe, inquit, vt

lædas,

lædas,nõ adiuues.quid ergo hîc commini-ſceris ἐκκοπρότικα, ſi ne clyſteres quidem ad-mittat Hippocrates?Hinc tanquam re opti me geſta,Botallo oblatras,quòd Hippocra tẽ non intellexerit:at verò ex ſuperioribus eſt manifeſtum te ipſum Hippocratem mi nime intelligere, qui eius ſententiam tam ineptè & abſurdè interpreteris: illum verò admodum appoſitè eam adduxiſſe ad ſuæ propoſitionis cõfirmationem. Placet verò verba tua apponere, vt in iis lector obſer-uet præclarũ ὁμοιοτέλευτον, quo eius animum longua ineptiarum tuarũ ſerie fatiſcentem
Fo.129.a recreas.Sic verò ais: *Quod facilè intellexiſſes, ſi quæ deinceps ſequuntur accuratè cogitateq́, legiſſes, aut ſi per te ipſorum ſenſum aſſequi nõ potuiſſes, Galleno interprete vſus fuiſſes.* Quorum verborum ſentẽtia inſulſa quoq; eſt & ab-ſurda: in iis enim, quæ ſequũtur eo loco apud Hippocratẽ, nihil aliud docetur ꝗ ea quæ inflammata ſunt, ſtatim in principio morborũ medicamento ſoluẽda non eſſe: at nihil hoc ad verſum, Villice, id eſt, ad di-ſtinctionẽ illam tuam de eccoprotico me-dicamento præmittendo venæ ſectioni. Vt nec id quod ad eius Hippocratis loci ex-plicationem

plicationem adfers ex Galeni commen. ad Aph.1.lib. 4. illic enim Galen.confirmat eä quæ Hippocrates dixerat de non mouēdis medicamento humoribus in aliqua parte firmatis.Nec obeſt,quod eodē loco ſcribit humores aliqua parte nō impactos, ſed turgentes per aluum deducendos eſſe: nam ſi eius verba diligenter perpendas intelliges eum indicare id fieri debere, cū natura in eo motu per inferiora euacuationē tentat. ait enim: Natura ad eos expellendos incitata, aliquo indiget qui manum porrigat. Nā manū porrigimus iis,qui ad nos viam affectant. quo verò natura vergit, inquit Hippocr.eò ducere oportet. Tunc ergo locus eſt purgationi, non ſanguinis miſſioni. At Botalli propoſitio ita eſt accipienda, vt velit inchoandum eſſe à venæ ſectione, vbi illa & purgatione eſt opus. quòd ſi, vt ſæpe ſolet,turgēs humor abſceſſum ad aliquam corporis particulā minitetur, aut inchoet, nemo vnquam inficias ibit, quin tū ratione ipſius partis,quæ fortè nobilis eſt,aut alioqui humoris illius non ſatis capax, tum ratione eiuſdem humoris, qui copia & caliditate peccat,ſanguinis detractio optimè

quadret,ſtatimq; adhibēda ſit, quod facile & promptū mihi fuerit Hippocratis & Galeni multis authoritatibus cōprobare, ſi id probatione egere videretur. Sed tandē tela hæc tua leuiora & hebetiora eſſe ſentiens, quàm vt Botallum vulnerare poſſint, malo nodo, vt inquis, malum cuneum adhiben-
Fo.130.a dum eſſe cēſes. Obiicis itaq; illi Hippocr. ipſum in principiis morborū à medicamēto purgante auxilium petentem lib. de intern. affect. locū tamen nō recitas, ne fraus tua agnoſcatur: nam id non docet fieri debere in morbi principio, vt tu aſſeris, imò contrà ait, ſi primi dies præterierint, in quibus & Hippocrat. & Gal. (in doloribus preſertim acutis, quales illi eſſe ponūtur) ſanguinem primum mittere ſolent. Idem tibi reſpōdeo de altero loco ex eodem libro, de ſplenis grauiſſimo dolore à ſanguinis repletione, nam cum acutum eum dolorē Hippocrat. vocet, eumq; & in mammam, & in clauiculas, & in humerum, & in ſcapulam ſimul incidere ſcribat, nulli dubiū eſſe debet, quin ei ſanguinis detractio in principio cōueniat, eāq; Hippoc. adhibendā eſſe putet, etſi id nō dicat: nā id adeò perſpicuū

eſſe

eſſe cenſuit, vt de eo quēquam admoneri non eſſet opus. Eius verò remedij meminit poſt aliorũ vſum quòd ſciret illud eo tempore non ita acceptũ eſſe medicis. nec fortè etiam purgationis mentionem feciſſet, cum eius neceſſarius vſus ſatis eſſet manifeſtus, ſed neceſſe eſſe exiſtimauit illius genus & modum, in quibus error incidere poſſet, definire. ait itaque, iiſdem purgato, quibus & priorem: pharmacũ ſurſum purgans ne dederis, deorſum verò granũ gnidium exhibeto. Solet enim Hippocrates breuitatis quàm ſtudioſiſſimus, vt in eius lectione exercitatis eſt notiſſimũ, quæ perſpicua ſunt & facilia ſilẽtio prætermittere, admonere verò tantum difficiliora, & magis artificioſa, quod eum in ſanguinis miſſione ſępiſſimè facere eã ſubticẽdo etiamſi vel adhibita vel adhibenda ſit, teſtis eſt Galenus multis in locis. Vides quàm malo illo tuo cuneo, Villice, etſi ſummo conatu abs te impulſo, nihil tamen profeceris, manente ſemper integra contra omnes impetus tuos Botalli propoſitione? quãquam ſi illius nodũ diſcindere optabas, non in Hippocratis & Galeni ſententiis, quas ad ſuã

cõfirmationem Botallus attulit,ſed in eius rationibus & argumentis is tibi perquirendus erat.Ille enim poſt illos Hippocratis & Galeni locos probat in morbis maius incõmodum ſequi poſſe ex præmiſſa quã ex poſtpoſita venæ ſectioni purgatione, exceptis tamen iis, qui ventriculo & inteſtinis ſine febre & inflammatione ab humorum illis adhærentium vitio accidunt, vt ſuprà quoq; monuimus.Hûc, Villice, cunei illius tui malitiam, ſi qua erat, experiri, earumq; rationũ pondera examinare & perpendere debebas.Sed quod ignaui milites ſolẽt,qui validiorum & generoſiorum hoſtium pugnam detrectãt, cum imbecillioribus tantum cõgrediuntur,ita tu ignauiæ tuæ optimè conſcius Botalli certiora argumẽta & rationes (quod videre eſt in ſingulis libelli tui inſectationibus) quaſi nõ videas, ſilẽtio diſſimulas,nec vllo modo attingis, leuiora tantũ conſectaris,idq; ita frigidè & ineptè, vt vbique imperitiam tuam magis prodas, quàm Botalli ſententiam infirmes.Sed hîc mihi conſiſtendum eſt,nam & hîc tu de re dicendi finem facis, etſi non maledicendi: recollectis enim veluti in ſummã quãdam ſuperio

ſuperiorum tuarum obtrectationum quiſquiliis, imponis operi coronidem plenā petulantiæ & ineptiarū, vt haberet ſcilicet ſe dignū patella operculum, vt eſt in prouerbio. Satis verò mihi eſſe debet (quod initio inſtitueram) Botalli optimas & vtiliſſimas ſentētias ab importuniſſimæ imperitiæ tuę luto emaculaſſe & vindicaſſe, cōfutatis ſigillatim reprehenſionibus omnibus tuis, quæ ad rem medicam aliqua ex parte pertinere videbātur. Qua in re, ſi alicubi paulò acrior fuiſſe videbor, eius rei venia facilè ac etiā vltrò mihi ab iis concedetur, qui cogitabūt eo me impulſum ac etiam coactum fuiſſe inſolenti petulantia maledicētiæ tuæ in ſapientiſſimū optimumq; & mihi multis iuſtis rationibus chariſſimū virū: quē, vt veritatis cauſa defendiſſę mihi honeſtiſſimū, ita tibi eius nomen (à quo præſertim nunquam læſus fueris) iniquiſſimis & indigniſsimis modis inſectatū eſſe apud bonos omnes ſemper turpiſsimum fuerit. D. Bruxellis Calendis Maij 1579.

*Villicus es: temerè ſed ſi maledicere pergas,*
*Inde etiam multò vilior hoc fueris.*

DE GRANGERII VERSICV-
lis, quibus ſub ficta perſona ſeipſum
laudat, & Botal. criminatur.

*Nemo erat, indoctum qui commendare libellum*
*Carminibus vellet, Grangeriane, tuum:*
*Scripſiſti ergo tibi ficto ſub nomine laudes.*
*Hac bonus, & doctus, hac ratione vir es.*

Antonij de Meliers Doct. Med.

De eiſdem.

*Sunt fictæ laudes, ſunt ficta & crimina, nomen:*
*Macte animi, fies ſic Grangeriane poëta.*

Eiuſdem.

DE INIQVISSIMO BONA-
uent. Grangerij libello, in D. Leon.
Botallum Medicum Regium doctiſ-
ſimum & clariſsimum conſcripto.

*ET prauus liber eſt, benigne Lector,*
*Et tumens ſtolida elocutione,*
*Quem quidam edidit in meum Botallum*
*Impudens medicus, nihil peritus:*
*Si tamen medicum licet vocare,*
*Qui nulli dedit hactenus medelam.*
*In illo canones modóſque poßis*
*Singulos reperire detrahendi,*
*Sed non ſanguinis, ipſe quod loquaci*
*Tibi garrulitate pollicetur:*

*Quid*

*Quid de ſanguinis illemiſſione,*
*Quam ignauiſſimus omnium nec vnquam*
*Vidit, nemini & imperauit vnquam,*
*Ancillæ niſi fortè eam imperauit,*
*Vni cui miſer aſſidet iacenti?*
*Tantùm detrahit in nigro libello,*
*Et tantùm maledicit impudenter*
*Optimo medico & viro, ſcopúſque*
*Mendaciſſimi hic vnus eſt libelli.*
*Vt fœdas tamen impleat lacunas*
*Libri tam vacui eruditione,*
*Charta & creſcat inanis in volumen,*
*Multa congerit hinc & inde furtim,*
*Et aptat ſibi non decenter, olim*
*Vt cornicula Horatiana, riſum*
*Quæ demùm populo miſella mouit.*
*Quare ſi ſapis, ô benigne Lector,*
*Ab illo tibi protinus caueto,*
*Et, quò eſt dignus, abire eum iubeto*
*Ad thus, ad piper, ad putres ſiluros:*
*Aut hoc ſi tibi non ſatis videtur,*
*Deo tradito, cui bonus Catullus,*
*Votum ſolueret vt ſuæ puellæ,*
*Annales Voluſi dicauit olim.* Annales Voluſi cacata charta.
*Hæc ſunt præmia peſſimi libelli,*
*Pleni inſcitiæ, & impij veneni.*

Andr. Pinoni Pariſ.

*Mendæ aliquot inſigniores, quæ operarum in cu-
ria irrepſerunt ſic corrigendæ ſunt.*

Pagina.5.verſu 12. lege didaſcalica. pag. 6.ver.18.hypotheſibus. pag.8.ver.7.paſſim. pag.10.ver. 7.ſe ſatis. pag.11. 24. valedicendum.pag.26.2.certè ſi diligentem. ibidem 23.externa. ibidem.24. dele, etiam. pag.30. 22.vtrā́q;.pag.35.10.üis.pag.42.9.poſſit. pag. 43.2.producat. pag.51.15.inuenitur. ibid.19. damneris. pag.65.14.dicuntur. 75.21.cōuerris.78.6.reliquum tantum eſt.83.5. ſicq́; partem.86.13.vana.89.12.hîc illi.91.15.quam. 96. 26.curæ. 97.2.naturæ. 98.4.infamare. 99.16. abolitæ.99.21.viſorij. 102.19.mittēdum. 103. 24.diſtributā.110.1.dele, ad. 116.2. tranſmittuntur. 119.verſ.vltimo partim.122.3.tu. 125. 15.vndequaq;. 131.15.dele interrogationem. 132.7.reuellere.135. 4.Polemarchum.137.14. medicorum,138.21.quærere.157.6.at.164.13. Hæc Galenus. Idē.&c. 166.19. caruiſſemus. 168. 13. nolis. 172. 17. conuitioſorum. 173. 3. obtrectationis.ibidem.6. effuſis. 178. 7. dilemma. 179.8. intermittēdam.181.verſ.vltimo inſulſiſſimis.

## *Mendæ aliquot, quæ operarum incuriâ irrepſerunt ſic corrigendæ ſunt.*

PAgina 5.verſu 12.lege didaſcalica. pag.6 verſ.18.& pag 7. verſ.21.hypotheſibus.pag 8 7.paſſim. 10.7. ſe ſatis. 11.24. vale dicẽdum.16.24.alteri monſtrant 20.24 noſſe 26.2.certè ſi diligentem.ibidem.23. externa. ibid.24. dele etiam ibidem in margine Sclopetorũ 30.14.ea verba [quapropter non &c] iiſdem literarum formis ſcribenda ſunt.ibidem 22.vtramque 35 10.vis.37.14.experientiæ ibid.25.iactentur.41.9 poſsit.43 2. producat.50.16.repugnabunt.51.15.inuenitur ibid.19 damneris.54.10.Theſſalo.ibidem 24.euertere.58.22.dele ex.63 5.ſingula. ibidem.21.Botallici libelli.64.1.enunties.65.14 dicũtur. 66.1. ſunt.70.21.illic.73.22.generatim.75.7. indefinita. ibidẽ. 21.conuerris.78.6.Reliquum tantùm eſt.ibid.9. reprehendis. 83.5.ſicque partem.86.13.vana.ibidem 14.indicat.88.4. tuſsis. 89.12.hîc illi.91.15.quam.96.26.curæ.97.2.naturæ. ibidem.15. inuenire 98.4.infamare.99 6.abolitæ. ibid.11.viſorij. 101.19. mittendum.103.24.diſtributã.110.1.dele,ad, 112.22.rectè.114. verſ.vlt.adducto? 116.2.tranſmittuntur 117.7 delabẽte.119.ver vlt.partim.120.2.in eamque rem.121.verſ.vlt.quoniam.122.3. tu 125.15.vndequaque.127.v.vlt.obtrectationum.131.15 dele interrogationẽ.132.7.reuellere 134.16. celerius.135.4 Polemarchum.137.14.medicorum.ibid.25. de eo lectorem admoneri ibidem.18.quam.138.21 quærere.142.1.ſeptuagenario ibid. 6. credamus ibidem 23.de experientia.146.14.ab illis 157.6.At. 158.10. ſimpl.160. 1.ac tandem.161.ad finem dele.cauſa,164.13. Hæc Galenus.Idẽ 165.1.ſit.168.13 nolis ibid.24.naturę.169.19. caruiſſemus.172.4.tamẽ quum ibid 17.cõuitioſorum. ibid.19. tu confuſa.173.3.obtrectationis.ibid 6.effuſis. 178.7 dilemma ibidem 9.illa.179.8.intermittendam. 181.verſ.vlt. inſulſiſſimis. 182.5.debaccharis.186 17 poteſt?